



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Socratis Scholastici Historiae Ecclesiasticae, Liber Quartus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

## S O C R A T I S

SCHOLASTICI HI-  
STORIAE ECCLE-  
SIASTICAE,

Liber Quartus.

*Quòd mortuo Iouiano, Valentinianus Imperator  
eligitur, qui in imperij partem, Valentem fratrem  
assumit, & quòd Valentinianus recta sanaq; fide  
præditus erat, Valens autem Ariana labe in-  
fectus.*

## CAPVT I.



V M Imperator Iouianus in Dada-  
stani, vti diximus, ad suum ipsius, &  
Varoniani filij sui consulatum, deci-  
mo tertio Calend. Martij è vita mi-  
grasset, milites ex Galatia deceden-  
tes, septimo post die Nicæam Bithy-  
niæ veniunt: omnesq; vna voce Va-  
lentinianum, ad 5. Calend. Martij, il-

lo ipso Coss. Imperatorem declarant. Hic genere Panno-  
nius fuit, è ciuitate Cibale ortus. Qui rem tractare aggressus  
militarem, se in ea facilè peritissimum ostendit. Vir ma-  
gno & excelfo animo præditus fuit: amplioremq; dignita-  
tis gradum, quàm in quo erat locatus, semper promereri vi-  
sus est. Qui, simul atq; fuit Imperator creatus, Constanti-  
nopolim absque mora contendit: ac triginta diebus post  
suam creationem, fratrem Valentem socium sibi adiungit  
imperij. Et quamquam ambo erant Christiani, de fide ta-  
men religionis Christianæ inter ipsos dissensere. Nam Va-  
lentinianus fidem concilij Nicæni est amplexatus: Valens  
autem opinione quadam animo præcepta inductus, dogma-  
ti Ariano mordicus adhæsit. Quæ quidem opinio præ-  
terea eius animū præoccupauerat, quod fuerat ab Eudoxio  
Con-

SOCRAT. HISTOR.

Constantinopoli Arianæ sectæ episcopo baptizatus: uterque fidei, quam coluit, permagno studio exarsit: Sed tamen cum Imperatores essent iam creati, moribus, & vitæ consuetudine valde fuere dissimiles. Nam tametsi antea, regnante Iuliano, cum alter tribunus militum esset, Valentinianum dico, alter ex numero Satellitum, qui Imperatori domestici erant & familiares, nempe Valens, perspicue declarabant, quam ardenti religionis studio uterque illorum inflammaretur (cum enim ad sacrificandum impellerentur, balteos militares deponere maluerunt, quam fidem Christianam deserere, quorum neutrum Imperator Iulianus, quoniam eos tales homines esse intelligeret, quales Reipub. plurimum possent commodare, de militaris honoris gradu deiecit, quemadmodum neque Iouianum, qui illi successit in imperio) tamen postea imperij gubernacula adepti, licet in initio regni sui, in Reip. commodis diligenter prospiciendo similes ac pares inter se essent, in religione Christiana, ut dixi, admodum discordare, & disparem modum aduersum Christianos exercere coeperunt. Valentinianus enim ut suæ fidei & opinionis fautores amplexabatur, sic Arianis nihil facebat molestiæ: Valens autem, non modo Arianorum numerum augere laborauit, verum etiam doctrinam contrariam amplectentes (sicut postea à nobis dicitur apertius) grauius affecit suppliciis. Per idem tempus, ecclesiæ Romanæ Liberius fuit episcopus. Alexandriae quidem Athanasius illi ecclesiæ parti, quæ fidem tenebat Consubstantialis præfuit: alteri autem, quæ doctrinæ Arianæ addicta fuit, Lucius, quem post Georgium Ariani suum constituerant episcopum. Arianorum, qui Antiochiæ erant, episcopus fuit Euzoius. Qui autem fidem Consubstantialis tuebantur, erant in duas partes diuisi: quarum alteri Paulinus, Melitius alteri præficiébatur. Hierosolymorum Cyrillus fuit episcopus. Constantinopoli, Eudoxius ecclesiarum gubernatione potiebatur, Ariique docebat opinionem. Qui autem fidem Consubstantialis propugnabant, in ædícula quadam intra ciuitatem conuentus celebrarunt. Qui verò sectam Macedonianam sequebantur, & in Seleucia cum Acacianis dissentiebant, ecclesias suas in singulis ciuitatibus tenuerunt. Hoc in loco res ecclesiæ id temporis fuere.

Quod

*Quòd dum in occidente ageret Valentinianus, ad-  
eunt Constantinopoli Valentem Macedoniani,  
quibus uti Concilium fieret ab eo contenden-  
tibus, annuit, & quòd Consubstantiale Valens  
impugnabat.*

C A P. I I.

**I**mperator Valentinianus ad partes versus occidentem  
(cura enim de rebus ibi gerendis suscepta illum eo per-  
traxit) proficisci maturat. Valentem autem Constanti-  
nopoli ad tempus commorantem, episcopi complures se-  
ctæ Macedoniæ adeunt, postulantque, ut alterum con-  
cilium ad rectam de fide decisionem faciendam conuoca-  
retur. Imperator quoniam illos cum Acacio & Eudoxio  
de religione consentire putabat, concilij cogendi illis fe-  
cit potestatem. Illi Lampfaci concilium congregare pro-  
perant. Valens omni festinatione Antiochiam Syriæ con-  
tendit: veritus, ne Persæ, ruptis triginta annorum fœderi-  
bus, quæ regnante Iouiano pacti fuerant, in fines Romano-  
rum irruptionem facerent. Verùm à Persis nihil turbatum  
est. Imperator igitur in otio & tranquillitate constitutus,  
in eos, qui fidei Consubstantialis adhærescebant, grauissi-  
mam persecutionis procellam excitauit. Et quanquam Pau-  
linum episcopum, propter eximiam eius pietatem nullo af-  
fecit incommodo, Meletium tamen exilio multauit. Alios  
verò, qui cum Euzoio communicare renuebant, ecclesiis,  
quæ erant Antiochiæ, exegit: multis, suppliciisque variis  
afflictauit. Fertur etiam illum complures in Orontem flu-  
uium, qui urbem illam præterlabitur, demersisse.

*Quòd cum Valens eos qui consubstantiale tuebantur  
in oriente persequeretur, Constantinopoli Proco-  
pius tyrannus exortus est, eodemq; tempore ter-  
ramotus ac maris inundatio superuenerint,  
quæ multis ciuitatibus magnam cladem intu-  
lerunt.*

C A P.

**D**V M ista, à Valente in Syria geruntur, Tyrannus, cui nomen erat Procopius, exoritur Constantinopoli.

Hic magnis copiis in exiguo temporis spatio coactis, contra Imperatorem ire maturat. Quod cum Valenti esset nuntiatum, illum in maximum conijcit angorem, qui quidem eius ferocitatem in illos, quos persequeretur, ad tempus repressit. Interea verò dum hic belli tumultus exarsceret, terremotus de repente irruens, multas ciuitates conuassauit. Quinetiam mare terminos, quibus circumcludebatur, commutauit. Nam in quibusdam locis tantopere inundauit, ut vbi dudum homines pedibus iter facere possent, ibi iam esset nauigio traiciendum: ab aliis autem locis tam longe abscessit, ut arida siccaq; remanerent. Atque ista euenere ad primum duorum istorum Imperatorum consulum.

*Quòd cum status, tum Reip. tum etiam ecclesie perturbaretur, Macedoniani qui Lampfaci concilium conuenire fecerant, fide qua Antiochia exposita fuit, iterum corroborata, fidei Ariminensis concilij anathema indixerunt, ac rursus Acacij & Eudoxij abdicationem confirmarunt. CAP. IIII.*

**H**IS rebus ita comparatis, neque Reip. neque ecclesie status pacatus tranquillusc; fuit. Nam qui ab Imperatore concilii cogendi postulauerant potestatem, hi sub eundem consulum, anno videlicet septimo post concilium Seleucie habitum, Lampfaci in vnum conuenientes, ibi simul ac fidei formulam Antiochia olim editam, de integro iam confirmauerant (eidem etiam Seleucia dudum subscripserant) illam, qua Arimini iam pridem ab episcopis qui consentientem de religione habebant opinionem exposita fuit, Anathemate condemnarunt. Rursusc; contra Acacium, & Eudoxium, utpote iure abdicatos, tulere sententias. His rebus Eudoxius Constantinopolis Episcopus nullo modo refragari potuit. Nam bellum, quod à populo, duce Procopio iam concitatum erat, impedimento fuit, quo minus se de illis vlcisceretur.

Qua-

Quapropter Eleusius Sizici episcopus vnà cum suis tum superiores partes adeptus, ad aliquod tēporis spatiū, dogma illud, quod à Macedonio eius authore nomen inuenit, quodque nunc paulò ante in concilio Lampfaceno multo euentius omnibus patefactum fuit, propugnauere. Istud concilium, causam equidem fuisse arbitror, cur Hellespontus (est enim Lampfacus in angusto Hellespōti sinu posita) tanta Macedonianorum frequentia abundaret. Hoc quidē conciliū talem habuit exitum.

*Quòd Imperator & tyrannus Procopius, cum propter quendam Phrygiæ ciuitatem pralium commississent, Imperator tyrannum ducum suorum proditione capiens, cum ipsum tum ipsius duces, suppliciis inuisitatis tradidos trucidauit.*

## CAP. V.

**A**Nno sequenti, Gratiano, & Dagalepho Cofs. bellum geri cœptum est. Nam tyrannus Procopius Constantinopoli egressus, parat cum Imperatore dimicare: quo audito, Valens relicta Antiochia, Procopio obuiam ire cōtendit: cum illo ad Nacoleam, urbem Phrygiæ conferit manus: primo pralio inferior fuit. Paulo post Procopium à ducibus suis Angelone. & Gomario proditum, viuū cepit. Quos quidem peregrinis ac nouis affecit suppliciis. Nam proditores neglecto iureiurando, quo se illis astrinxerat, ferris dissectos è medio sustulit. Tyranni autem crura duabus arboribus, quæ non longo interuallo inter se distabāt, ad terram inflexis, alligauit, deinde arbores in sublimē de-  
nuo se tolli permisit: quæ in altum sublata, Procopium dis-  
cerperunt. Tyrannus igitur eo modo in duas partes di-  
remptus, misere interiit.

*Quòd post interfectum tyrannum, rursus Imperator eos qui in concilio coacti fuerunt, ad Arianam opinionem adegerit, itemq; Christianos omnes.*

## CAP. VI.

**I**mperator rebus tum prosperè & feliciter gestis elatus, rursus in Christianos tumultus propterea ciens cœpit, quod

SOCRAT. HISTORIAE

quòd omnes ad sectam Arianam traducere cupiebat. Atq; concilium Lampfaci habitum illi in primis bilé mouerat, non modò quòd episcopos Arianos interdixerat ecclesia, sed quòd fidei formulæ Arimini editæ anathema denuntiauerat. Itaque cum Nicomediam Bithyniæ venisset, Eleusium Cyzici episcopū ad se accersit. Hic opinioni Macedonianæ vt supra dixi, maxime deditus fuit. Quare Imperator concilio episcoporum Arianorum conuocato, Eleusium illorum fidei assentiri coegit. Qui quamquam antea illud se facturum omnino denegauerat, postea tamé exilio, & publicatione bonorum, quæ ipsi interminatus fuerat Imperator, supra modum exterritus, opinioni Arianæ assensit. Statim vt assenserat, in magno dolore fuit: & Cyzicum reuersus coram vniuerso populo, de vi ipsi ab imperatore illata grauiter conquestus est: docetq; vi se coactum, non sua adductum voluntate, doctrinæ Arianæ assensisse: illisque alium conquirendum episcopum, propterea quòd ipse necessitate compulsus, suum ipsius dogma denegasset. Cyziceni tamen præ incredibili amore, quo illum cõplectebantur, neq; alteri episcopo se subijcere voluerunt, neq; ecclesiæ suæ administrationem concedere. Quare cum eius semper paruere gubernationi, tum suam ipsorum hæresim minimè deposuere.

*Quòd Eunomius, Eleusio Macedoniano eiecto, Cyzici episcopus institutus est, & vnde prodierit, & quòd Aetij cognomento Athei, scriba cum esset, illum sibi ad imitandum proposuit.*

CAP. VII.

**H**IS rebus auditis, episcopus Constantinopolitanus, Eunomium, vtpote qui dicendi vi, qua præditus erat, posset multitudinis animos in suam sententiam facile pertrahere, episcopū Cyzici designauit. Quo cū aduertisset Eunomius, ab Imperatore mandatū fuit, vt Eleusio exturbato, Eunomius in sede episcopali collocaretur. Vnde qui Eleusij fauebāt opinioni, extra vrbs mœnia extruxerūt ecclesiā, conuentusq; separatim egerunt. Sed de Eleusio hæc quidem hæctenus, de Eunomio autem iam pauca dicamus.

mus. Eunomius Aetij cognomento Athei, cuius supra mentionem fecimus, scriba fuit. Qui cum eo vitam degens, fallaces ratiocinandi concludendique modos, qui sunt sophistarum proprii, ab illo didicit, eosque sedulo imitatus est. Quinetiam inanibus ineptisque vocibus operam dare, sophismataque quibus ipse irretiretur, contexere, imprudens aggressus, illisque arroganter inflatus, ad blasphemiam præceps ruit. Aetij etiam opinionem sectari, veritatis dogmata variis rationibus impugnare cœpit. At tamen si sacrarum literarum prope ignarus imperitusque fuit, neque potuit eas omnino intelligere, tamen verba variare, eademque semper aliter atque aliter dicere potuit: at quod sibi ad dicendum proponebatur, nunquam attigit: sicut septem romi ab illo in apostoli ad Romanos epistolam tam ineptè compositi, factis perspicue declarant. Nam cum multa verba inaniter de ea epistola profuderit, institutum tamen apostoli animo capere nullo modo valet. Exstant alij eius libri his consimiles: de quibus si cui in animo sit periculum facere, in magna verborum copia, miram sententiarum inopiã reperiet. Atqui istum Eunomium Eudoxius ad episcopatus Syzicensis dignitatem extulit. Cùm verò ut ipse mos ferebat, pro concione dialecticis argutijs vteretur, auditores admodum reddidit attonitos: unde Syzici tumultus exortus est. Nam cum Syziceni arrogantem illius in dicendo insolentiam ferre nullo modo possent, e civitate exrubarunt. Ille Constantinopolim se recipit, ibi cum Eudoxio aetatem degit: ab episcopatus administratione vacat. Verùm ne ista solum obrectandi causa dixisse videamur, ipse Eunomij verba, quæ sophista more fallaciter & veteratoricè de Deo non veretur dicere, audiamus. Sic enim loquitur: Deus de sua ipsius essentia nihilo plus intelligit, quàm nos: neque ea ipsi magis est perspecta & cognita quàm nobis: Sed quod nos de ea scimus, idem omnino & ipse scit: ac rursus quod ille novit, idem in nobis vicissim reperies. Ista aliasque complures commentitias fallacias imprudens contexit Eunomius. At qua ratione se ab Arianis paulo post segregaret, dicemus suo loco.



SOCRAT. HISTORIAE

*De inuento oraculo in lapide inciso, quando propter  
Valentis Imperatoris iracundiam Chalcedonis  
murus diruebatur. CAP. VIII.*

**I**mperator muros urbis Chalcedonis, quæ è regione Byzantij sita est, demoliri iubet. Nam iurauerat, se profligato tyranno Procopio, hoc propterea facturum, quod Chalcedonii Procopij partibus fauentes, ipsum turpibus & maledicis conuitiis vexassent, urbemque prætergredienti portas occlusissent. Itaque urbis incenia mandato imperatoris diruuntur. Lapides eorum ad balneas publicas Constantinopolis, quæ dicuntur Constantianæ, transportantur. In vno autem ex lapidibus oraculum incisum repertum est: quod antiquitus quidem ibi abstrusum fuisset, atque tum primum in lucem elatum. Ex quo constabat, muros tunc balneis inferuituros, cum magna aquæ copia urbi suppeteret: cumque infinitæ Barbaræ gentes in fines Romanos incursionem facerent, Romanos multis afficerent incommodis, ipsæque ad extremum interirent. Verùm nihil obstat, quo minus studiosorum causa illud ipsum oraculum hoc loco ponamus.

*Laurigeram nympha dum miscet cantibus urbem  
Raucaq; multigemens defendit balnea murus  
Gens fera: gens numerũ superans, superabit & Istrũ  
Quæ Scithitas franget glacies, Misosq; rebelles  
Conteret: hostili penetrans sed cuspide Thraces  
Prælia committet, sed committendo peribit.*

Oraculum ita se habet. Non longo temporis spatio interposito, aquæ ductus à Valente exædificatus, permagnam aquæ abundantiam urbi Constantinopoli suppeditauit: eodemque tempore gentes Barbaræ contra Romanos, vti dicemus postea, bellum concitauere. Cæterùm oraculum alio etiam modo intelligi poterit. Nam aquæ ductu in ciuitatem deriuato, Clearchus urbis præfectus ὑδραγωγὸν tubum amplissimum in foro Theodosiano cõstruxit: quod δαχιδὲς ὑδωρ, id est, aqua copiosa appellabatur: vbi lætum festum agitauit ciuitas. Atque hoc est, quod in oraculo dictũ fuit:

Lauri-

*Laurigeram nymphæ dum miscet cantibus urbem  
Raucaq; multigemens defendit balnea murus.*

Verùm ista de Oraculo paulo post euenêre. Id temporis verò, cum murus Chalcedonis diruendus esset, Constantinopolitani orabant Imperatorem vt ab illo demoliendo abstineret. Idem à ciuibus Bithyniæ Nicomediæ, & Niceæ, qui tum forte Constantinopoli aderant, rogatum est. At ille, ira supra modum accensus, supplicantium postulationem agrè admodum tulit: & quo Iurifurandi fidem seruaret, non modò murum disturbari, verumetiam ruinas illius aliis minutis lapidibus oppleri iubet: Atque adhuc etiam in quibusdam muri partibus licet videre, quo pacto maximis & eximiis fundamentorum muri veteris lapidibus structura pertenuis & nullius ferè pretij tum imposita fuisset. Sed de muro urbis Chalcedonis fatis multa.

*Quòd Imperator Valens, Nouatianos qui non minori studio, quàm orthodoxi, consubstantiale asseruabant, infestabat, quodq; Imperator Valentinianus filium quem suo nomine vocauit, genuerat, nam Gratianus ante aditum imperiũ natus erat.*

CAP. IX.

**P**orro Imperator ab illis persequendis, qui fidem consubstantialis tuebantur, non destitit, sed eos expulit à Constantinopoli, & cum illis vna Nouatianos, tanquàm eidem opinioni addictos, eorumque ecclesias occludi iussit. Episcopum autem Agelium, qui illis præerat virum, qui iam olim à Constantini temporibus rexerat ecclesiam, vitamque planè apostolicam traduxerat, exilio multari. Iste per vniuersum vitæ tēpus nudis pedibus inceserat, vnaque tunica, præceptum Euangelij obseruans, vsus fuerat. Per id tēpus Martianus, qui olim in palatio satellitis munere perfunctus fuisset, vir valde pius & eloquentia insignis, Imperatoris iram contra Nouatianos inflammata restinxit. Qui tum præbyter ecclesiæ Nouatianæ factus, Anastasiam, & Carosim Imperatoris filias, grammaticæ præceptis instituit.

SOCRAT. HISTOR.

fuit. Quarum nomine balneæ publicè Constantinopoli, à Valente extructæ fuère, & ibi adhuc cernuntur. Itaque præ reuerentia, qua illum Imperator obseruabat, Nouatianorù ecclesiæ ad tempus occlusæ, denuo aperiuntur. Non tamè molestijs, quas illis faceſſebant Ariani, penitus liberati fuerunt. Erant enim illis propterea inuisi, quòd eos, qui fidè tenebant consubstantialis, amore & beneuolentia amplexabantur. Atque illo quidem tempore hic rerum status fuit. Istud nos minimè præterire debet, bellum contra Tyrannù Procopium susceptum, sub fine mensis Maij administratum fuisse, Gratiano, & Dagalepho Cofs. Paulo post illud bellum, eisdem Cofs. Valentiano Imperatori in partibus versus occidentem natus est filius, ipsius nomine nuncupatus. Nam Gratianù filium ante susceperat, quàm imperij adiret gubernacula.

*De grandine inusitata magnitudinis, qua de cælo decidit, et terræmotibus, qui in Bithynia et Helleſponto acciderunt. CAP. X.*

**A**Nno sequèti, Lucino & Iouiano Cofs. Sexto Non. Iulij, grando magnitudine inusitata, lapidibus similis Constantinopoli decidit. Est quidem multis in ore illam grandinem, Deo iato, quòd multi sacerdotes, qui cum Eudoxio communicare recusauerant, essent ab Imperatore relegati, delapsam fuisse. Non multo post, eisdem Cofs. Valentinianus filium suum Gratianum Imperatorem creat, 1x. Calend. Septembris. Anno proximo Valentiniano, & Valente secundum Cofs. quinto Idus Octobris, terræmotus in Bithynia factus, Nicæam urbem deturbauit. Iste duodecimus annus fuit post ruinam Nicomediæ. Post paulo multæ partes Cerinæ, vrbis Helleſponti altero terræmotu conquassatæ, ceciderunt. Verùm, quamuis ista hoc modo euenirent, nihilo magis tamen Eudoxij Episcopi Ariatorum, & Valentis Imperatoris animi ad pietatem, & rectâ de religione opinionem commoti fuerunt. Nam crudeliter in eos sæuendi, qui ab ipsis in fide dissentiebant, nullû aliquando finem fecère. Isti terræmotus videbantur tumultus in ecclesia certa fuisse indicia. At quamquam com-  
plures

plures sacerdotes, vt dixi, erant in exiliū eiekti, tamen Ba-  
filius & Gregorius soli ( quorum ille Cæsareæ Cappado-  
ciæ episcopus fuit: hic Nizianzi vrbis obscuræ & perte-  
nui, Cæsareæ finitimæ) diuina prouidentia propter ex-  
imiam pietatem patriis sedibus minimè pulsi fuere. De  
quibus postea mihi vberius dicendum est.

*Quod qui Macedonij sententiæ suffragabantur, cum  
propter Imperatoris violentiam in angustias ve-  
nissent, missa ad Liberium Pontificem Romanum  
legatione, subscriptione sua consubstantialis ra-  
tum fecerunt. CAPVT XI.*

**E**odem tempore illis, qui fidem Consubstantialis cō-  
stanter seruabant, grauius, & acerbè exagitatis, dein-  
ceps improbi illi, qui eos fuerant persecuti, contra ma-  
cedonianos grassari cœperunt. Hi metu, imo potius vi, in  
angustias adducti, de ciuitatibus suis alter ad alterum lega-  
tos mittere, significareq; sibi necessario confugiendum, uñ  
ad fratrem Imperatoris, tum ad Liberium Episcopum Ro-  
manum; illorumq; fidem potius amplexandam, quàm vt  
cum Eudoxio communicarēt. Itaque Eustachium Sebastie  
episcopum, qui se penumero abdicatus fuisset, Siluanū Tar-  
si Ciliciæ, & Theophilum Castabolorum vrbis Ciliciæ,  
mittunt: illisque in mandatis dant: vt cum Liberio neu-  
tquam de fide dissentiant, sed communicent cum ecclesia  
Romana, fidemq; consubstantialis ratam faciant. Isti cum  
litteris eorum, qui Seleuciæ de fide disenserant, ad vete-  
rem urbem Romam se conferunt. Cum Imperatore mi-  
nime colloquuntur (erat enim in gallia bello contra  
Sauromatas gerendo occupatus) sed Liberio literas offe-  
runt. Ille eas recipere noluit. Nam eos sectæ Atianæ fau-  
tores esse dixit, & propterea ab ecclesia non posse recipi,  
vtpote qui fidem concilij Nicæni abrogassent, cui illi re-  
spondent, se pœnitentia inductos veritatem agnouisse:  
fidem eorum, qui filium patri dissimilem esse docent, iam  
pridem reiecisse: filium in omnibus patri similem con-

fiteri: atque illam vocem similem, nihil à voce Consubstantiali discrepare. Quæ cum dixissent, Liberius postulât ab illis, ut opinionis suæ declarationem scriptis mandarent, Illi libellum ei obtulere: in quo verba in fidei formula Nicææ edita compræhensa fuere perscripta. Epistolas, quas factis conuentibus, ab vrbe Smyrna, quæ est in Asia, à Paphlagonia, Isauria, Pamphylia, & Lycia inscripserunt, hoc loco citare, ne sim longus, non est consilium. Libellus autem, quem Legati ab Eustatio missi Liberio dederunt ita se habet.

*Domino fratri & Collegæ nostro Liberio, Eusebii, Theophilus, & Sylvanus in domino. S.*

**V**T omnem occasionem insanæ Hæreticorum confidentiæ, qui Ecclesiæ Catholicæ graues afferunt offensiones, omnino adimamus, concilia episcoporum rectè de religione sentientium, quæ Lampfaci, Smyrnæ, alijsq; varijs in locis aliquando habita fuerint, nostro approbamus consensu. Atque quo magis constet nos eisdem assentiri, hanc obimus legationem, literasq; ad tuam benignitatem, & ad omnes alios episcopos Italiæ, aliarumq; regionum ad solem occidentem vergetium attulimus: ex quibus planum fiet, nos fidem catholicam tenere seruareq;, quæ in sacrosancto concilio Nicæano, temporibus Beati Constantini Imperatoris, à trecentis decem & octo episcopis confirmata fuerit, atque adeo inuiolata stabilisq; vsque ad hodiernum diem perpetuò permanferit, in qua vox, consubstantialis, ad peruersam Arii doctrinam expugnandam sanctè pieq; posita est. Nam propriarum manuum subscriptionibus plane confitemur nos nõ aliter, atque illos patres, quos diximus sentire, sed eandem fidem cum illis & antehac seruasse, & iam seruare, & ad extremum vsque spiritum seruatos esse: Arium autem, impiam eius doctrinam, discipulos, opinionis fautores, quin etiam omnem heresim Sabellij, omnès Patropasianos, Marcionistas, Photinianos, Marcellianos, & Pauli denique Samosatani sectatores penitus condemnare. Istorum doctrinæ, omnibus idem cum illis sentientibus, omnibus etiam hæresibus, quæ sacrosanctæ fidei prædictæ à sanctis patribus, piè & catholicè in vrbe Nicææ

Nicæa expositæ aduerfantur, itemque fidei formulæ in Cō-  
 cilio Ariminensi recitatæ, utpote fidei sancti concilij Ni-  
 cæni, quam diximus, prorsus repugnant (cui quidem do-  
 lo & quorundam periurio propter nomen vr̄bis Nicææ,  
 quæ est in Thracia, fraudulenter inducti, Constantinopoli  
 subscripserunt) nominatim anathema indicimus. Fides  
 autem cum nostra, tum eorum, quos supra diximus, quo-  
 rumque legationem obimus, est hæc quidem: Credimus  
 in vnum Deum, Patrem omnipotentem, omnium rerum  
 visibilem & inuisibilem effectorem: & in vnum Vnige-  
 nitum Deum, Dominum Iesum, Christum, Filium Dei,  
 genitum ex patre, hoc est ex substantia patris: Deum de  
 Deo: Lumen de Lumine: Deum verum de Deo vero: geni-  
 rum non factum: Consubstantialé patri, per quæ omnia facta  
 sunt, siue quæ in cælo, siue quæ in terra. Qui propter nos  
 homines, & propter nostrâ salutem descendit. Et Incarnatus  
 est, & homo factus est, Passus est: & resurrexit tertia die.  
 Ascendit ad cælos: & venturus est iudicare viuos & mor-  
 tuos. Et in Spiritum Sanctum. Illis verò, qui asserunt tē-  
 pus aliquando fuisse, cum non esset, aut non ante fuisse,  
 quàm natus esset, aut ex his, quæ non sunt constare, aut ex  
 alia, quàm ex patris substantia vel essentia constare, aut fili-  
 um Dei posse conuerti & mutari, Anathema indicit Catho-  
 lica & Apostolica Ecclesia. Ego Eustathius Episcopus  
 vr̄bis Sebastie, Theophilus, & Siluanus, concilij Lamp-  
 faceni, Smyrnenfis, & cæterorum Legati, huic fidei no-  
 stræ declarationi manibus nostris, nostraque ipsorum vo-  
 luntate subscripsimus. Quòd si quis post hanc fidem à no-  
 bis expositam aut contra nos, aut contra illos qui nos mi-  
 serunt, aliquod crimé adduxerit, cum tuæ sanctitatis literis  
 ad Orthodoxos Episcopos, quos tua pietas probauerit,  
 veniat, & coram illis nobiscum de eo disceptet: & si quid  
 offensum esse constiterit, in authorem illius vindicetur.  
 Isto libello Liberius, Legatos tanquam sponsione obstrin-  
 gens, in communionem recepit, datisq; illis literis dimisit.

*Liberij Episcopi Romani, ad Episcopos Oriētis Epistola.*

**D**ilectis fratribus & collegis, Hythio, Cyrillo, Hy-  
 perechio, Vriano, Heroni, Elpidio, Maximo, Eusebio,  
 o s Eucar-

SOCRAT. HISTOR.

Eucarpio, Heortasio, Neoni, Seuero, Didimioni, Bretta-  
nio, Callicrati, Dalmatio, Aedesio, Eustochio, Ambrosio,  
Gelonio, Pardalio, Macedonio, Paulo, Marcello, Hera-  
chio, Alexandro, Adolio, Marciano, Stheneto, Ioanni,  
Maceri, Charisio, Siluano, Photino, Antonio, Ayto, Cel-  
so, Euphranoni, Milefio, Parricio, Seueriano, Eusebio, Eu-  
molpio, Athanasio, Diaphanto, Menodoro, Diocli, Chri-  
sampelo, Neoni, Eugenio, Eustathio, Callicrati, Arsenio,  
Eugenio, Martyrio, Hieracio, Leontio, Philagrio, Lucio,  
& omnibus in oriente orthodoxis episcopis, Liberius epi-  
scopus Italiae, & alij occidentis episcopi in Dño semper S.

Vestrae Literae Fratres dilecti, lumineq; fidei illustrati,  
de pace & concordia ecclesiae per honoratissimos fratres &  
episcopos, Eustatium, Siluanum, & Theophilum ad nos  
perlatæ, nobis maximam maximeq; optatam lætitiã attu-  
lerunt: id adeo in primis, quod vestras sententias &  
opiniones tum cum mea, qui infimus omnium sum, tum  
cum aliorum episcoporum Italiae, cæterarumque omnium  
regionum versus occidentem, sententijs consentire con-  
cordareque ostenderunt, atque adeo confirmarunt. Hanc  
autem Catholicam & Apostolicam fidem agnoscamus, quæ  
vsque à concilio Nicæno hætenus, integra stabilisq; per-  
mansit. Hanc illi ipsi patres se habuisse confessi sunt: atque  
adeo mira alacritate & gaudio completi, omnia absurda o-  
pinionis vestigia, omnesque eius quasi scintillas relictas  
sustulerunt. Hancq; fidem non solum apud populum con-  
cionando, verum etiam sedulo scribendo omnibus propo-  
suerunt. Cuius quidem exemplar his literis necessariò sub-  
iungendum duximus, ne qua hæreticis ad insidias tenden-  
das relicta sit occasio. quam quidẽ nacti, de integro faces sue  
malevolentia in ecclesiam intentent, magnaq; dissidiorum  
incendia, vt illis in more positum est exuscitent. Nam &  
hoc ipsum confitentur honoratissimi Fratres nostri, Eusta-  
thius, Siluanus, & Theophilus, nimirum & seipsos, & vestra  
charitatẽ semper hæc fidẽ seruasse, & ad extremum vitæ diem  
seruaturos esse: videlicet quæ fuerit à trecetis decem & octo  
episcopis orthodoxis in vrbe Nicæa probata, quæq; & per-  
fectã cõplectatur veritatẽ, & hæreticorum multitudini ora  
obturet, eorũq; doctrinã penitus euertat. Neq; enim tā in-  
gens

gens episcoporum numerus fortuito, sed Dei nutu & voluntate ad furorē Arii comprimendum coacta est. Imo verò eodē numero Beatus Abraham, tot hominum milia per fidem profligauit. Quæ quidem fides vi & nomine Consubstantialis cōprehensa, tanquam propugnaculum firmum & inexpugnabile omnes impetus, & nefarias pestiferæ opinionis Arii machinas retundit reprimiq; . Et quamquam nequam & scelerati Ariani effecere, vt omnes episcopi occidentis Arimini in vnum cogentur, quo ibi vel persuasione, vel vt verius dicam, Imperatoris autoritate. illud quod erat ad summam cautionem in fidei formula positum, aut tollerent, aut peruerse inficiarentur, nihil hac fraudulenta molitione omnino profecerunt. Nam omnes illi fere episcopi, qui Arimini conuenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi à fide tum quidem descuerant, nunc tamen ad sanam mentem reuersi, fidei formulæ ab episcopis Arimini conuocatis editæ anathema denuntiarunt, & fidei catholicæ & apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscū iam vna cōmunicat, omnes illi, in quā, in præsentia maximo iracundiæ estu cōtra dogma Arii, eiusq; discipulos exardescunt. Quā rem vestræ charitatis legati cū exploratè cognitā, planeq; perspectā haberēt, suę ipsorum subscriptioni vestra etiā nomina adiūxere: Ario autē & decretis Arimini cōtra fidē Nicææ stabilitā sancitis (quibus itē vos per versutas blāditiis in fraudem inducti, cū iureiurādo adhibito subscripsistis) anathema edixere. Quapropter nobis videbatur cōsentaneū literas ad vestrā charitatē pscribere, vobisq; iusta æquaq; petentibus opē ferre: præsertim cū per confessionem vestrorū legatorū perspicuè intelligeremus, episcopos oriētis ad sanam sincerāq; mentē reuersos, cū orthodoxis occidentis episcopis in fide cōcordare. Neq; vos ignorare volumus, & blasphemias Arimini cōtra filium Dei diuulgatas, iam etiam ab illis, qui tum videbantur fraudulentē & repentino impetu à veritate tanquam abrepti, anathemate damnari: & fidei concilij Nicæni concordiam animorum voluntate ab omnibus assensum esse, Quinetiam per vestras literas omnes certiores fieri debent, vt qui per fraudem à recta fide abducti fuerint, iam tandem ex cæca hæresis caligine ad clara diuinumque lumen liber-



libertatis Catholicæ egrediantur. Qui quidem, si post hoc concilium lethale pestilentis doctrinæ venenum euomere noluerint, omnesq; Arii blasphemias ex animis suis radicitus euellere, atque adeo illis anathema indicere, sciât se pariter cum Ario & eius discipulis, cum aliis serpentibus, utpote Sabellianis, Patropasianis, & alterius hereticæ prauitatis cuiuscumque modi sectatoribus à communione ecclesiæ, quæ filios adulteros non recipit, tanquam scæderis & societatis expertes omnino exclusos esse, Deus vos fratres charissimi, diu seruet incolumes. His acceptis literis legati Eustathij in Siciliam proficiscuntur. Vbi concilio episcoporum Siculorum conuocato, coram illis similiter fidem consubstantialis se seruare confitentur: fideique formulâ in concilio Nicæno confirmatam ratam faciunt. A quibus cum literas in eadem cum epistola Liberij sententiâ perscriptas, ad episcopos, qui eos miserant, accepissent, recta reuertuntur. Illi epistola Liberij accepta, legatos ad episcopos cuiuscumque ciuitatis, qui fidem consubstantialis defendebât, oratum mittunt, ut omnes ex vno animorum consensu Tarsim Siliciæ tum ad fidem concilij Nicæni confirmandam, tum ad omnem cõtentionem, quæ post illud in ecclesia oriebatur, dirimendam commearent. Quod quidem fortassis factum fuisset, nisi Eudoxius sectæ Arianæ episcopus, qui tum gratia apud Imperatorem plurimum poterat, obstitisset: qui propter concilium edictum permagna iracundiæ flamma incensus, illos grauissimis affecit incommodis. Macedonianos verò per legatos, quos miserunt, cum Liberio communicasse, fidemq; concilij Nicæni ratam fecisse, Sabinus etiam in libro suo de collectione rerum in concilij gestarum, perspicuè declarat.

*Quòd Eunomius se ab Eudoxio seperauerat, propterea quòd ipse AEtij opinioni accesserat, & quòd Alexandria, procuratione Eudoxij perturbatione concitata, Athanasius iterum fugit, & cum ea de causa motus in populo ciceretur, metuens id Imperator, animis populi Alexandrini per epistolas lenitis, rursus Athanasium tranquille ecclesiam obtinere præcepit. CAP. XII.*

Eisdem

**E**isdem temporibus Eunomius ab Eudoxio seiunctus, conuentus propterea separatim egit, quòd Eudoxius ipsi sepe numero illum deprecanti, vt præceptorem suum Aetium in ecclesiam reciperet, nõ obtemperauerat. Neque tamen Eudoxius istud sua sponte præstitit. (Actij enim opinionem, quæ à sua nihil omnino discrepabat, neutiquam reiecit) sed quòd omnes qui cum Eudoxio consentiebant, Aetium vt pote diuersam ab eo doctrinam tenentem abhoruerunt. Hæc verò causam fuisse, cur Eunomius ab Eudoxio se segregauerit, satis constat. Has etiam res Constantino- poli ad hunc modum gestas accepimus. Alexandria autem, edictum opera ac studio Eudoxij à præfectis eo missum ecclesiam magnopere conturbauit. Athanasius igitur temerarium & vesanum multitudinis impetum verens, extimescensque ne si quid ab illa ederetur absurdi, in ipsum tanquam authorem illius conferretur, quatuor menses continuos in paterno monumento latitauit. Sed cum populus propter illius absentiam, & desyderium quo tenebatur, seditionem constaret, Imperator certior factus, contra Alexandrinos grauius commotus est: perque literas illis significauit, vt liceret Athanasio ecclesiarum administratione animo securo & tranquillo potiri. Vnde factum est, vt ecclesia Alexandrina ad mortem vsque Athanasij, quieta pacataque consisteret. Quam quidem post eius mortem Arianos denuo occupasse, docebimus paulò post.

*Quòd Eudoxius cum vita functus esset, Constantino- poli, Ariani Dimophilum, orthodoxi verò Euagrium, Eustathio Antiochiæ episcopo ordinante, pro eo sufficiunt, quodq; Euagrius & Eustathius, cum extorres Imperatore iubente profugerant, Arij sectatores, illos qui consubstantialia propugnabāt, admodum multis incommodis affecerunt, ac præterea de sanctis presbyteris qui iussu Valeris in nauigio cremati fuerunt, & de fame quæ Dei indignatione in Phrygia accidebat.* CAP. XIII.

**I**mperator Valès denuo Antiochiam ire maturans, Constantinopoli decedit. Qui cum venisset Nicomediam Bithy-

SOCRAT. HISTOR.

Bithyniæ, ibi ad tempus cōmoratus est ob hāc causam. Eudoxius ecclesiæ Ariani episcopus, statim post Imperatoris discessum, cū ecclesiæ Constantinopolitanæ sedē ad decē & nouē annos occupasset, abijt è vita, Valentiniano iam & Valente tertium Coss. Quamobrem Ariani in locum illius Demophilum sufficiunt: sed qui fidei consubstantialis fauebant, se tempus opportunū nactos arbitrati, Euagriū quendam suæ ipsorum fidei fautorē designant. Quē quidem episcopū creat Eustathius ille, qui olim Antiochię fuisset episcopus, quiq; & iā dudū à Iouiano ab exilio esset reuocatus, & tū fortē Constantinopoli versaretur, fidei cōsubstantialis fautores confirmandi gratia, ibiq; in occulto delitesceret. Quo factō, alia arrepta occasione Ariani illos de integro acerbē persequi cōeperunt: quæ res ad aures imperatoris celerrimē peruenit. Ille igitur admodum veritus, ne ex populi contentione seditio conflata, ciuitatē labefactaret, copias militares ex Nicomedia Constantinopolim misit: præcepitq; vt vterq; tum qui creauerat, tū qui creatus fuerat, alter in alterū locū relegaretur. Quocirca Eustathius Bizyam urbē Thraciæ amandatus est: Euagrius alio abductus. His rebus ita cōfectis, Ariani maiores spiritus sumere, & eos qui de ecclesia erāt, verberādo, cōtumelijs afficiēdo, in carcerē cōijciendo, pecunia multando, omnia deniq; incōmodorū genera, quæ erant planē intolerabilia illis imponēdo, grauissimē diuexare cōeperunt. Illi cū hāc ferre non possent, Imperatorē depræcatū adeunt, vt si non omnino, aliqua ex parte tamē Arianorū violētia liberarētur. Verūm istud animo agitantes, longe opinione aberrarunt, præsertim cum ab eo ius suum obtinere sperarent, qui iniuriarum ipsis illatarū author fuisset. Nam cum viri pij ordinis ecclesiastici, octaginta numero, ad eā rē delecti (inter quos principē locū obtinebant, Urbanus, Theodorus, & Menedemus) Nicomediam aduentarent, Imperatorē supplices orarēt, vim sibi illatā docerent, & incōmoda, quæ ab Arianis accepissent, ei proponerēt. Ille quanquam iracūdia erat supra modum in eos inflāmus, eatenus tamen eam occultauit, quoad Modesto præfecto clā dedisset mandatū, vt illos comprehensos morte multaret. Mortis genus, quoniā nouū & peregrinū fuit, operæpretiū arbitror literis ad posterorū memo-

memo-

memoriam cōmendare. Præfectus admodum extimescēs, nē si illos palā & in oculis omniū trucidaret, multitudo impetu temerario incitata, ipsum seditiose adoriretur, simulat se in exiliū eos missurū. Illi ré excelso & erecto animo ferūt. Præfectus itaq; iubet eos in nauigiū imponi, perinde ac si in exiliū recta abducerētur: nautis tamē in mandatis dat, vt cū ad mediū pelagus peruentū foret nauigiū succenderent: vt hoc modo è vita migrantes, nō haberent, qui eos sepulturæ mandarēt. Sic igitur factum est. Nam nautæ ad medium pelagus Astacenum peruecti, imperata faciūt: ipsiq; succēso nauigio, Scapham quæ sequebatur conscendentes reuertūtur. Fortè fortuna ventus Subsolanus grauer spirat, nauigiūq; succensum tam vehementer pellit, vt celerrimo cursu per mare prolaberetur, & vsque eo duraret, quoad in Nauale quod Dacidizus vocatur, appelleret: vbi pariter cum ipsis pijs viris tandem penitus absumptum est. Creber quidem sermo apud multos vsurpatur hoc crudele & impium facinus minimè inultum fuisse. Nam statim post, fames acerbissima per vniuersam Phrygiam peruasit: ita vt complures incolæ illius regionis exiguo temporis spatio necessitate adducti, tam Constantinopolim, quàm ad alias prouincias confugerent. Constantinopolis enim, quamuis infinitam hominum multitudinem alat sustentetq; tamē partim propter rerum ad vitam necessariarum inuentionem, quæ per mare fit, partim propter pontum Euxinum, qui ei finitimus est, quiq; frumentum cum opus sit, abunde suppeditat, maxima omnium rerum copia circumfluit.

*Quod Imperator Antiochiam profectus, eos qui con-*  
*substantiale astruebant infectatus est, & de iis quæ*  
*Edessa gesta fuerunt, & præfecto cōtumelia affecto,*  
*ac ciuium fide & animi præstantia, & de pia*  
*quadam muliercula. CAP. XIII.*

**V**alens Imperator hanc famis asperitatem paruificiēs, Antiochiam petit: ibiq; cōmoratus, omnes qui Arianam detestabatur doctrinā, hostiliter expugnare cœpit. Nā eos, vtpote cōtra Arii opinionē, fide cōsubstantialis  
firme

firmè adherescētes, nō solū per oēs fere orientis ciuitates ab ecclesiis expulit, Verumetiā hoc supplicio de illis sumpto minime saturatus, varia cruciatus genera illis irrogauit: ac multo maiorem numerum, quā qui supra citatus sit, cum alijs diuersis mortis generibus, tum potissimum in flumina demergendo, è medio sustulit. Porro, de facinore ab eo Edesæ Mesopotamiæ edito hoc loco dicamus. In eā ciuitate egregium & magnificum templum est diuo Thomæ apostolo dicatum: crebraq; hominum multitudo eo propter loci sanctitatem confluit. Quod quidem Valens videre cupiens, cum pro certo cognosceret ipsius hæresim vniuersæ hominum multitudini, qui ibi conueniebant, inuisam esse, fertur manu præfectū propterea percussisse, quòd illos inde non ante abigendos curasset. Vbi verò præfectus hac insigni affectus contumelia, se parauerat animo valde inuito (noluit enim tantæ hominum frequentiæ cædem inferre) ad Imperatoris iræ obsequendum, clam illis significat vt nemo in eo templo offenderetur, Verum nemo erat, qui eius vel concilio, vel minis animum aduerteret. Nam postridie omnes gregatim ad illud templum conuolant. Ac dum præfectus cum ingenti militum manu ad templum, quo Imperatoris animum bile accensum satiaret, ire maturat, mulier quædam inops cum filio suo manu secum attracto, eo accurrens, turmam stipatorum media perripit. Quam rem præfectus grauiter & indignè ferens, mulierem ad se adduci iubet: eamq; sic compellat: O infœlix mulier, quo tam temerè properas? Tum illa, quo alij, inquit, etiam properant. Et ille, an non, inquit, audiuiſti præfectū omnes, quos ibi reppererit, interfecturum? Audiui equidem, inquit, & propterea propero, vt ibi ipsa reperiar. Quæ cum præfectus audiuiſſet, inde de reliquorum ad eum locum concursantium confidentia coniecturam fecit. Idcirco Imperatorem adit: illumque docet, omnes ad mortem pro fide sua oppetendam esse paratos: adiecitq; facinus temerarium & indignum esse tantam multitudinem tam exiguo temporis momento neci dare: atque adeo Imperatori persuasit, vt iracundiæ suæ flammam extingueret. Ad hunc modum, itaque Edeseni effugerunt, ne ab Imperatore profus expugnarentur.

Quòd

*Quòd Imperator Valens multos, qui T H primum no-  
minis sui clementum habuerunt, iugulauit, pro-  
pter necromantiam quandam quam fama ad au-  
res eius transmiserat.*

C A P. X V.

**S**V B idem tempus pessimus quidam dæmon Imperato-  
ris crudelitate ad suam abutebatur libidinè. Nam quo-  
rundam hominum curiosorum animos induxit, vt per  
*νεκρομαντείαν* id est diuinationem, quæ fit per mortuo-  
rum umbras excitatas, perscrutarentur, quis post Valentem  
Impetii gubernacula obtineret. Quibus quidem magicas  
præstigias exercentibus dæmon, vti solet, non perspicuum,  
sed obscurum responsum dat: nimirum literas quatuor esse,  
Th. E. O. D. ex quibus eius nomen, qui esset post Valen-  
tem regnaturus, inciperet: nomenq; ei compositum fore.  
Cuius rei fama ad aures permanat Imperatoris. Ille igitur,  
neq; rerum futurarum scientiam, neque potestatem res pro  
arbitratu gerendi Deo cuius nutu omnia præclare admini-  
strantur, permittere voluit, Sed religionis Christianæ præ-  
ceptis (quorum studio magnopere flagrare præ se tulit) pe-  
nitus derelictis, complures, quos imperio suspicabatur po-  
situros, trucidat. Itaque omnes, qui erant vel Theodori, vel  
Theodoti, vel Theodosij, vel Theoduli nomine, vel aliis  
confimilibus nominibus appellati, interficit. In quorû nu-  
mero fuit Theodosiolus, vir nobilis ex genere patricio:  
qui ab Hispania ad Valenté adductus, morte multatus est.  
Multi igitur præ metu ipsorum animis iniecto, sua commu-  
tarunt nomina, eaque quæ parentes illis in lucem editis im-  
posuerant, tanquam plena periculi denegarunt. Sed de his  
satis multa dixisse videor.

*De morte Athanasii & Petro eius successore, &  
quòd post mortem Athanasii, Ariani mandato  
Imperatoris Lucium Ecclesiæ Alexandrinæ,  
coniecto in carcerem Petro, præfecerunt.*

C A P. X V I.

Hoc

**H**OC loco intelligamus oportet, Imperatorem, dum vixit Athanasius episcopus Alexandrinus, diuina quadam prouidentia Alexandriae & Aegypto perturbandae temperasse: quippe qui intelligeret, ingentem ibi multitudinem esse, Athanasio penitus addictam, & propterea formidaret, ne si seditio Alexandriae excitaretur (est enim populus ille natura sua paulo feruentior) Resp. inde admodum laederetur. Athanasius vero post multa pro ecclesia contestata certamina, cum episcopatum quadraginta sex annos non absque multis grauibuscumque periculis administrasset, decessit in vita, Gratiano, secundum & Probo consulibus: Petrumque virum valde piuum & eximium reliquit successorum. Contestatum igitur Ariani magnos animos sumere coeperunt, de Imperatoris religione gloriari, & absque mora Athanasii mortem imperatori, qui tum Antiochia commorabatur, significare. Itemque Euzoius, qui Antiochiae sectae Arianae episcopus fuit, tum etiam occasionem temporis tam commodum oblatam arripens, iter Alexandriam parare, uti rectionem ecclesiarum, quae ibi sunt, Lucio Ariano impertiret. Idem quoque Imperatori visum est. Quare Alexandriam cum potestate Imperatoria, quam celerrime proficisci maturat. Quinetiam Magnus, quaestor Imperatoris, illum eo comitatur. Addebatur etiam mandatum per scriptum ad Palladium praefectum Alexandriae, ut copiis militaribus Euzoi instituto inferiretur. Quocirca & Petrum comprehensum, in custodiam tradunt, & aliis clericis, alio in alium locum amandatis, Lucium in sede episcopali collocant.

*Quod malorum illorum quae dum Lucius in solio suo collocaretur euenerunt (quae sane quam multa fuere) Sabinus Macedonianus nullam in historia sua mentionem facit, sed Petrus qui ad Damasum Episcopum Romanum fugiens incolumis seruatus erat, in commentarijs à se relictis ea commemorat, & quod Ariani & Lucius summam in monachos, qui in solitudine vitam agebant, crudelitatem exeruerunt.*

CAP. XVII.

Eti

**E**T si eorū facinorum, quæ in initio episcopatus Lucij, contra eos, qui extra urbē Alexandriae in reliquis Aegypti partibus habitabant, partim in carceribus, partim extra carceres crudeliter patrata fuerunt, & qua ratione alij variis tormētis excruciatī, alij præter ea, exilio præterea multati essent, Sabinus nullā omnino fecit mentionē (quippe qui cū Semiarianus esset, amicorū scelera occultauit) tamen Petrus per literas suas, quas posteaquā fuerat ex vinculis elapsus, ad oēs vbiq; misit ecclesias, eadē omnib⁹ patefecit. Qui vt ex carcere effugerat, ad Damasum pontificē Romanū aduolauit. Proinde Ariani, licet numero pauci, ecclesijs tamen Alexandrinis de integro potiūtur. Non lōgo tēporis interuallo interiecto, ex edicto Imperatoris mandatum est, vt oēs qui fidē Consubstantialis tenebant, nō Alexandria solū, sed ex vniuersa etiā Aegypto penitus expellerentur. Quinetiā præfecto imperatū, vt cū ingentibus copijs, oēs vbiq; persequeretur, quos Lucius indicaret. Eodē tēpore monasteria in solitudine direpta, diuexata, & crudeliter expugnata fuere. Nam inermes, qui ne manū quidē ad ictum repellendum extēdere volebant, viri armati aggressi, adeo miserādum in modū enecarūt, vt scelera in eos admīssa, nullo dicendi genere explicari possint.

*De sancto Ammone monacho, & alijs viris sanctis  
ex Euagrii historia. CAP. XVIII.*

**S**ED quoniā in monasteriorū quæ in Aegypto erāt incidimus mentionē, nihil obstat, quo minus de eisdē pauca disseramus. Ea loca, quæ dicuntur ἀσκητικὰ, id est in quibus monastica viuēdi disciplina excolitur, quamquā fortasse in Aegypto ante longū tēporis spatiū initiū sumpsere, tamen ab Ammone, viro sanctissimo fuere multo magis aucta amplificataq;. Qui cū adolescens esset, à nuptiis abhorruit illē quidē, sed tamē cū nonnulli amicorū eum hortarentur, vt non ita contumeliose nuptias infectaretur, sed vxorē duceret, illis morem gessit, venitq; ad nuptias. Ac statim, vt virginē è thalamo exemerat, & consueta cum pompa in interiorius deduxerat cubiculum, tandē vbi necessarij illius decessissent, airepto in manum libro epistolas Pauli complectenti, primum epistolam illius Apostoli ad Corinthios cepit legere, præceptaq; illius de nuptis coniugi exponere:

R. 2 deinde



SOCRAT. HISTOR.

Deinde multa aliunde adijcere : docere nuptiarum incommoda : quàm tristis sit inter virum & mulierem vitæ confortatio : quàm acerbi dolores mulierem gravidam pungant. Addere etiam molestias, quæ in liberorum educatione inesse solent. Postremò virginitatis commoda percensere, & quatenus vita pura, inuiolata, & ab omni labe vacua sit libera : & quod virginitas nos ad Deum quàm proximè faciat accedere. Hæc aliâq; multa apud vxorem virginem elocutus, persuasit illi, vt priusquam congregerentur eam vitæ rationem, quam humana consuetudo postulat, profus abijceret. Ambo igitur, quasi fœdere de ea re pacto, ad montem, qui Nitria vocatur, recta se conferunt: ibiq; ad exiguum tēpus in tugurio ætatem degentes, communem vitæ monasticæ disciplinam exercuerunt, nullo virilis, aut muliebris sexus discrimine habito, sed vnum corpus, vt est apud Apostolum, fuerunt in Christo. Non longo post tempore, noua sponsa, & virgo incorrupta Ammonem sic affatur : Non te decet, qui temperantiæ & castitati colendæ te totum dedidisti, fœminam in tantillo domicilio conspiciari. Quare, si videtur, quisque nostrum separatim in monastico vitæ genere exercendo se ponat. Hoc itaque de vtriusque sententia pactum est : atque alter ab altera segregatus, quod reliquum erat vitæ eo pacto contriuit. A vino & oleo vterque abstinet, & panem siccum aridumque comedit, idque interdum post vnum integrum diem, nonnunquam post duos, aliquando post plures. Huius Ammonis animâ post mortem ab angelis in cælum sublatam Antonius, qui eisdem vixit temporibus, vidit: quemadmodum ab Athanasio Alexandria Episcopo in eius vita commemoratum est. Quapropter permulti Ammonis viuendi modum studiosè imitari cœperunt: ac mons Nitriæ, & scitis passim monachorum multitudine refertus est: quorum omnium vitas figillatim persequi, separatam tractationem postulat. Verù quoniam inter eos viri pij, qui cū propter disciplinam monasticam, tum propter Apostolicâ viuendi rationem, quam colebant, valde fuere eximij, res nonnullas perutiles & memoratu dignas tum gesserunt, tum locuti sunt, non incommodum erit, mea quidem sententia, si ad vtilitatem legentium ex multis pauca in hanc nostrâ historiam includamus.

Fertur

Fertur hunc Ammonem nunquam seipsum nudum aspexisse: dicereque consueuisse, Turpe esse monacho suum ipsius corpus nudum contemplari. Eundemque cum esset forte flumen transiturus, vestes exuere magnopere reuerentem, Deum præcatum esse, vt ei à proposito quod instituerat nequaquam repulso, transitus fieret. Quo facto, angelum in vltiorem fluminis ripam eum transportasse. Dydimus, qui etiam monachus fuit, nonagintaque confecit annos, per totum vitæ spatium nullius vnquam hominis societate & consuetudine usus est. Arsenius ex eodẽ numero adolescentulos, qui deliquerant, à communione non segregauit, sed eos qui in disciplina monastica profecerant: Nam adulescentulus, inquit, si segregetur, contemnit: qui autem profecerit, dolorem, quem ex segregatione capit, cito persentiscit.

Pior inter ambulandum solet comedere: atque cuidam interroganti, cur ita faceret, respondet: se in cibo sumendo, non quasi opus facere, sed quasi superuacaneum quiddam. Alteri item de eadem re sciscitanti dixit: ne animus, dum comedo, voluptate afficiatur corporea. Isidorus dicebat, quadraginta annos, ex quo peccatum in animo senserat iam præteruisse, ac nunquam vel cupiditati, vel iræ consensisse.

Pambo vir literarum omnino ignarus & rudis ad quendam accedebat, vt Psalmum disceret: & cū primum versum psalmi trigesimi octauum audiuisset, qui ita se habet: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: secūdam audire noluit, sed decedens dixit: Vnus hic versus sat est, si modò eum re ipsa & opere discere potuero. Atque illi, qui versum docuisset, ei vitio vertenti, quod sex menses continuos illum non vidisset, respondit, se versum psalmi nondum re ipsa didicisse. Postea longo ætatis spatio percurso, cuidam ex notis quærenti, vtrum versum didicisset, respondit se decem & nouem annis integris vix didicisse eum opere explere. Idem ipse cuidam aureum ad pauperes alendos ei lagienti dicenti que, numera quod dedi, respondit non esse opus numero, sed animo sano recteque composito. Eundem ferunt Athanasii episcopi accersitu, ex solitudine Alexandriam profectū: & cum ibi videret mulierem in pompa sumptuosius exquisitiusque ornatam, quo homines ad se spectandam inuitaret, lachrymas profudisse. Atque quibusdam

*Psal. 38.*

SOCRAT. HISTOR.

busdā ex illis, qui aderāt, rogantibus, quid esset causa, cur la-  
 chrymaret, respōdisse se duabus rebus fuisse cōmotum: vna,  
 quod mulierē videret sibi exitiū parare: altera, quod ipse nō  
 tanta cura, ac studio ad placendū Deo, quanto illa ad homi-  
 nibus flagitiosis blandiendū incūberet. Alius quidā dixit,  
 Monachum, si non laboret, pro fraudatore habendum esse.  
 Petrus, qui in cognitione contēplationeq; naturę plurimū  
 poterat, ad eos, qui in colloquium cū eo venirent, aliud atq;  
 aliud semper dicebat: qui inter singula, quę illis tradebat prę-  
 cepta, pręces ad Deū fundere consuevit. In numero mona-  
 chorū, qui eo tēpore vixerūt, duo viii erant pietate & san-  
 ctimonia eximij, qui eodē nomine (vterq; enim vocabatur  
 Macarius) nuncupati fuerūt: quorū alter ex superiore AE-  
 gypto, alter ex vrbe Alexandria oriūsus. Vterq; multarum  
 rerū causa, vt disciplinę monasticę, vitę pię instituta, morū  
 præstabiliū, & miraculorū deniq; ab ipsis editorum percele-  
 bris & illustris. Aegyptius Macarius morbis, tā multos libe-  
 ravit, tot dæmones ex hominibus, qui eisdem agitabantur,  
 eiecit, vt res ab eo per Dei gratiā gelta, opus separatum desi-  
 derent. Erga illos, qui in ipsius congressum venirent, seueri-  
 tate cū reuerentia tēperata vsus est. Alexandrinus autē, & si  
 in aliis rebus omnibus ei similis fuit, in hac tamen dispar,  
 quod aduersus eos, qui cū ipso colloquebantur, se hilarē &  
 iucundū ostendit: atq; adeo vrbāitate & facetiis adulescē-  
 tulos ad monasticā viuendi disciplinā allexit. Istorum disci-  
 pulus fuit Euagrius: qui studium sapiētīę in initio quidem  
 verbis duntaxat, postea autē factis diligentissimē excoluit.  
 Hic primū Constantinopoli à Gregorio Nazianzeno est  
 ordinē diaconi consecutus: deinde vna cum illo in AEgy-  
 ptū profectus, ibiq; cū illis piis viris, quos supra dixi, collo-  
 cutus, illorum viuendi genus ardenti studio imitari cępit:  
 totq; miracula ab eo edita, quot à Macariis præceptoribus  
 suis. Itemq; libri ab illo accurate cōscripti: quorū vnus Mo-  
 nachus, siue de viuendi ratione, quę in agendo cernitur: al-  
 ter Gnosticus, siue scientia præditus dicendus sit: in quo  
 sunt capita quinquaginta: alter Antirreticus id est aduersus  
 dæmones tentantes cōfutatio, ex sacris literis collecta, inq;  
 octo partes diuisa, numero octo cogitationū mentis nostrę  
 aptē respondentia. Sexcenta præterea problemata de rerum  
 præ-

præfensione futurarum. His accedunt duo carminum libri:  
 vnus ad monachos, qui in cænobiis, & conuentibus ætatem  
 degunt; alter ad virginem. Qui quidem quàm eximij sint,  
 facilè intelligent hi, qui sunt eos perlecturi. Verù opportu-  
 num tempus, mea quidem sententia, hoc loco se offert, pau-  
 ca ex illis, quæ sunt ab eo de monachis commemorata, huic  
 sermoni attexendi. Sic enim loquitur. Viæ illæ, quas mona-  
 chi ante nos institerunt, sunt nobis necessariò indagandæ, no-  
 straq; vitæ ratio ad illas dirigenda. Nam multa ab illis sunt  
 & prudenter dicta, & acta præclarè. Ex quorù numero vnus  
 dicebat, aridiorem tenuioremq; victus rationem, eamq; sem-  
 per æquabiliter obseruatã, modò cū charitate iūgeretur, mo-  
 nachū breui ad portum ἀπαθείας, id est vacuitatis ab om-  
 nibus animi perturbationibus perducturã. Idem ipse quen-  
 dam fratrè noctu spectris grauiter turbatum liberauit, quòd  
 illi in mandatis dederat, vt ægrotis ieiunãs inferuaret. Cau-  
 sam verò rogatus: nulla, inquit, re eiusmodi perturbationes  
 tam facilè sedatur, quàm misericordia. Cuidam ex eorù nu-  
 mero, qui id temporis sapientes sunt habiti, ad Anthonium  
 illū iustū accedenti, quærentiq; quo pacto vitã posset suste-  
 tare, solatio illo, quod ex libris capi solet, orbatu, respòdit:  
 meus liber, ô philosophè, est natura rerù à Deo cõditarum:  
 quæ quotiescunq; animo lubitum sit meo, libros ipsius Dei  
 ad legendū suppeditat. Ægyptius ille senex Macarius, ele-  
 ctionis vas, interrogauit me quid esset, cur cū iniuriarù no-  
 bis ab hominibus illatarum recordamur, memoriæ vim & fa-  
 cultatè in animo insitã labefactemus: cū aut earum, quas dæ-  
 mones nobis faciunt, tenemus memoriã, eã integrã illẽsamq;  
 feruemus. Ac mihi, quid esset respondendū, hæsitanti, obse-  
 crantiq; vt eius rei causam ab eo cognoscerè, dixit: priorem  
 perturbationem contra naturã esse, posteriorè autem iræ na-  
 turaliter cõgruere. Porrò autè cum ipse ad sanctum patrem  
 Macarium in ipso meridiei articulo accederem, & siti vehe-  
 méter oppressus aquã ad bibendū postularè: vmbra, inquit,  
 contentus esto. Nam multi, qui vel terra iã iter faciunt, vel  
 nauigio mare transmittunt, sunt ista quidè penitus destituti.  
 Tum mihi cū illo de cõtinentia sermonè conferenti, dixit:  
 bono animo esto, inquit, ô fili: Viginti equidem iam annis  
 continuis, nec panẽ, nec aquã, nec somnũ cepi ad facietatè.

Matt. 19

Nam panem comedi pondere: aquam mensura bibi: parieti inclinatus, paululum somni furripui. Monachus quidam, cum patris mors ei significaretur, illum, qui significabat, sic allocutus est: desine loqui blasphemias. Nam pater meus immortalis est: frater quidam, librum Euangelij, quem solum habebat, vendidit, pecuniamque ad pauperes sustentandos cōtulit, dictum memoria dignissimum simul elocutus: eum ipsum librum vendidi, qui dicit: Vende quæ habes, & da pauperibus. Est quædam Insula prope Alexandriam, ad Boream vergens, quæ trans Lacū Mariam sita est: in ea Monachus ex secta Gnosticorum, vir spectatissimus habitauit. Hic omnia, quæ aguntur à monachis, propter quinque causas agi asseruit: propter Deum, propter naturā, propter consuetudinem, propter necessitatem, & propter manuum officium. Idem alias dicebat, vnam esse naturam virtutem, sed pro animæ facultatibus in quibus insit, varias in species distribui. Nam solis lumen, inquit, specie & figura caret illud quidem, sed ob fenestras, per quas penetrat, figurari solet. Alium quendam monachum fertur dixisse: ob hanc causam voluptatum illecebras amputo, vt materiam etiam præcidam iracundiæ. Etenim hanc noui pro voluptatibus perpetuò decertare, tranquillum mentis meæ statum perturbare, intelligentiæ vim afferre. Alter quidam senex dixit, charitatem deposita vel cibi vel pecuniæ non posse seruare: qui item dixit, se non bis in eadem re, quantum sciebat, à dæmonibus aliquando fuisse deceptum. Ista sunt ab Euagrio, in libro, qui de vita in actione posita inscribitur, totidem verbis commemorata. In libro autem qui Gnosticus dicitur, sic loquitur. Quatuor virtutes & totidem earum præceptiones à Gregorio iusto didicimus: prudentiam, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam. Ac prudentiæ munus esse sanctas illas facultates, quæ sunt mentis propriæ, nullis adhibitis verbis (has enim à sapientia tradi affirmauit) contemplari. fortitudinis, in veris firmè persistere: & quamuis sis propterea grauiter oppugnatus, ad falsā tamen nunquam deflectere. Temperantiæ femina à primo ac summo Agricola accipere, eum autem, qui alia femina porrigit, repellere. Denique iustitiæ, rationem cuiusque rei pro dignitate reddere: hancque virtutem alia obscure innuere, nonnulla per  
enig-

enigmata significare, quædam ad Imperitiorum vtilitatem  
 apertius explanare. Veritatis colūna, Basilius Cappadox ait  
 cognitionem, quæ ab hominibus capitur, crebro vsu & ex-  
 ercitatione fieri perfectiorem: eam autem, quæ per Dei gra-  
 tiam animis nostris ingeneratur, iustitia, placabilitate, & mi-  
 sericordia. Ac prioris eos, qui perturbationibus obnoxij  
 sunt, posse fieri participes: posterioris autem illos solos qui  
 sunt ab omni animi perturbatione liberi vacuique: qui que-  
 dum in præcibus defixi sunt, propriam mentis lucem, quæ  
 ipsos illuminat, contemplantur. Itemque sanctus Athanasius,  
 Aegyptiorum luminare, ait Moyse præceptum esse, vt men-  
 sam versus Aquilonem statueret. Illi igitur, qui sunt in con-  
 templatione positi, animaduertant sedulo, quis sit ille aduer-  
 sarius qui contra eos spiret, omniaque tentationis genera vi-  
 rili & excelso animo tolerant, & illos, qui ipsos adeant, pro-  
 penso ac parato animo alant sustententque. Serapion etiam  
 Thmuitensis ecclesiæ velut angelus, dicebat, mentem, quæ  
 cognitionem spiritualem imbiberit, plene cumulateque pur-  
 gari: partes animæ iracundia exardescentes, charitate sanari:  
 prauas cupiditates, quæ in animi domicilium illabuntur, co-  
 erceri continentia. Didymus ille doctor maximus, & in re-  
 rum diuinarum contemplatione summus, dicere consuevit:  
 documeta de prouidentia & iudicio diuino assidue tecum  
 recolito, eorumque summam (omnes enim ferè in illis la-  
 buntur) memoria custodire laborato: quorum altera, de iu-  
 dicio scilicet, in corporum differentia, inque ea, que est mū-  
 di, mutatione facile discernes: altera, de prouidentia, in mo-  
 dis illis, quibus à vitiositate & inscitia ad virtutem & cog-  
 nitionem ducimur, facile animaduertes. Ista ex Euagrii libris  
 deprompta in hunc locum contulimus. Alius quidam Mo-  
 nachus erat, vir plane admirabilis, qui Ammonius vocabatur:  
 iste adeo parum curiosus fuit, vt cum Romæ vna cum  
 Athanasio fortè versaretur, nihil ex magnificis vrbis operi-  
 bus, præter templum Petro & Paulo dicatum, videre omni-  
 no desideraret. Idem cum ad episcopatum gerendum impel-  
 leretur, clam aufugit, dextramque sibi præcidit auriculam, vt  
 corporis deformitas impedimento esset, quo minus ad illud  
 munus deligeretur. Postea cum Euagrius ad episcopatum à  
 Theophilo episcopo Alexandrino delectus ex occulto au-

SOCRAT. HISTOR.

fugeret, nullo corporis membro amputato, Ammonioque forte fortuna occurreret, & faceret illum propterea perstringeret, quod auriculam praecidendo, facinus fecisset, seque coram Deo reum ipse peregrisset. Ammonius, illi respondit: at tu, inquit, Euagri, non putas te poenas daturum, quod lingua propter nimium tui ipsius amore excisa, gratia, quae donata est tibi, minime usus sis. Erant eodem tempore etiam alij plurimi viri in monasteriis virtute & pietate praestantissimi, quos quidem in hoc praesenti opere commemorare nimis longum esset, praesertim cum nobis, si illorum vitas, & miracula ab ipsis propter singularem, quae in eorum animis insita fuit, sanctimoniam edita, singillatim persequeremur, a proposito admodum digrediendum esset. Quapropter, si quis studio ducitur accurate cognoscendi, quas res gesserint, quo pacto se in vita exercuerint, quae ad audientium utilitatem locuti fuerint, quo modo bestiae illis obtemperarint, legat librum a Palladio monacho (qui Euagrii fuit discipulus) separatim de illis editum. Nam omnia, quae ad eos spectant, in eo sunt accurate explicata: in quo etiam de mulieribus, quae parae vivendi ratione cum viris supra dictis excolebant, sermo susceptus est. Euagrius vero & Palladius paulo post mortem Valentis flourerunt. Sed iam redeamus, unde digressi sumus.

*De sanctis monachis in exilium eiectionis, & quomodo Deus editis per illos miraculis, omnes ad se attraxerit.* CAP. XIX.

**C**VM igitur Imperator Valens lege sancivisset, ut in eos, tum qui Alexandriam, tum qui Aegyptum incolebant, persecutio concitaretur, omnia vastata eversaque fuere, dum alii in Iudicium adducti, alii in carcerem coniecti, alii aliis tormentis diuexati. Nam varia cruciatu genera illis qui se quiete gerebant, inflata. Vbi ista Alexandriae erant pro libidine Lucij confecta, Euzoiusque Antiochia reuerterat, dux cum ingentibus copiis, & Lucius Arianus una (nam ne ille quidem ei instituto defuit, sed multitudinem sanctorum virorum, quos nequiquam commiseratus est, multo acerbius, quam milites ipsi, afflictauit) ad Aegypti monasteria contendant. Posteaquam ad locum ventum est, viros consueta obeuntes munera, preces scilicet fundentes, morbis medicantes, eijcien-

eijcientes dæmonia comprehendunt. Isti, utpote quibus mi-  
 racula per Dei gratiam factitata non magno æstimarétur, so-  
 lita præcationum officia in locis ad orádum ipsis destinatis  
 exequendi nullam voluerunt omnino illis facere potestaté,  
 sed inde eos exturbarunt. Neq; his solum acquieuerút, sed  
 in amentia lógus progressi, temerarias populi turbas in eos  
 incitarút. Hæc Ruffinus se aspexisse, inq; calamitatis socie-  
 tatem cum illis venisse se narrat. Tum certè ea quæ ab Apo-  
 stolo dicta sunt, videbantur in illis renouari. Nam multi lu-  
 dibrio habiti, flagris cæsi, vestibus spoliati, vinculis constri-  
 cti, lapidibus obruti, cruentis gladiis obruncati fuerunt: alij  
 in solitudinè conclusi, ouillis caprinisq; pellibus operti, au-  
 xilio destituti, grauiter afflictati, rebus asperis incómodisq;  
 acerbè admodum vexati: quos mundus suo complexu con-  
 tinere minimè fuerat promeritus: non pauci per varia loca  
 deserta oberrantes, in montes, spelūcas, terræq; cauernas se  
 abdiderunt. Atq; ista afflictationū genera, propter fidè, pro-  
 pter opera, propter curationes denique, quas diuina gratia  
 adiuti fecissent, perpessi sunt. Verùm diuina prouidentia,  
 uti verisimile fuit, permissum est, ut ista subirent incommo-  
 da, quo per illorum ærumnas aliis ad salutem, quæ in Deo  
 est, patefieret aditus. Quod quidè ita esse exitus rerū perspi-  
 cue declarauit. Postquam igitur eximij illi viri, hæc rerum  
 asperarū inflictas plagas tolerantia repressissent, Lucius de  
 spe deiectus, persuadet militū præfecto, ut patres monacho-  
 rum in exiliū mitteret. Patres aut̄ erāt, Macarius Aegyptius  
 & Macarius Alexandrinus. Isti igitur in insulam quandam,  
 quæ nullum incolam habebat Christianum, relegati fuère.  
 In qua insula erat delubrum, & sacerdos, quem omnes inco-  
 læ pro Deo venerabantur. Cum isti sancti viri in eam essent  
 ingressi, omnia dæmonia, quæ ibi versabantur præ metu &  
 terrore cœpère exhorrescere. Eodem tempore tale quoddā  
 miraculum dicitur euenisse. Sacerdotis filia à dæmonio ex  
 improviso occupata, supra modum furere, resque omnes di-  
 sturbare cœpit: neque eius rabies vlla ratione comprimi  
 sedarive potuit: sed contra eos pios viros grauiter vocife-  
 rata est ad hunc modum: Cur huc venistis ad nos abigen-  
 dos? Itaque sancti illi munus, quod diuina gratia ipsis  
 largita fuerat, palam ibi de integro ostenderunt.

Nam



SOCRAT. HISTOR.

Nam dæmonem ex virgine eijciunt, eamque patri tradunt sanam & valentem, sacerdotem, & omnes insulæ habitatores ad fidem Christianam traducunt. Exemplò igitur, commutata religionis forma, omnes baptizati sunt: & doctrinã Christianam lubentibus animis didicerunt. Quare diuini illi viri propter fidem Consubstantialis grauius & acerbè exagitati, cum illi ipsi magis probati facti sunt, tum aliis salutem dederunt, tum denique fidem illam effecerunt multo firmiorem.

*De Dydimò cæco. CAP. XX.*

**E**isdem temporibus alium virum valde fidelem Deus extulit in lucem, per quem suam fidem vehementer testatam & illustrem reddidit. Nam Dydimus vir planè admirabilis & insignis, omniq; literarum genere excellens, per id tempus floruit. Qui cum adhuc admodum adolescens esset, & prima literarum elementa solum didicisset, in graue morbum oculorum incidit: quo quidem grauius afflicta-  
tus, lumina penitus amisit. At Deus pro oculorũ sensu, intelligentiæ aciem illi clemens impertiit. Nam quæ oculorũ obtutu capere non poterat, ea per sensum audiendi perdidit: quippe à puero, præclara indole & ingenio valde bono præditus, omnes ingeniosos, etiã acutissimè cernentes, longe superauit. Nam grãmaticæ præcepta celeriter combibit: rhetoricæ aut multo celerius. Ad studium philosophiæ ingressus, mirũ quantum breui profecerit. Ac primũ dialecticam, deinde Arithmeticã, tum Musicã didicit: postremò reliquis disciplinis, quæ philosophiæ finibus continentur, ita animum suũ imbuit, vt cũ illis, qui oculorum subsidio maximas in eisdem progressiones fecissent, cõgredi potuerit. Quinetiã sacrosancta tũ veteris, tum noui testamenti eloquia adeo accuratè tenuit, vt multos in eadẽ conficeret cõmentarios. Itemq; de trinitate tres libros edidit. Libros porrò Origenis de principiis interpretatus est, inq; eosdẽ composuit commentarios, quibus probauit eos optime perscriptos: illosq; inaniter nugari, qui cum Origenis libros nõ possent intelligere, & hominem incusare & libros reprehendere laborarent. Quocirca si quis multiplicem doctrinam, & ardens animi studium Dydimi cognoscere desiderat, libros

bro ab eo editos euoluendo facile, quod volet, consequetur. Fertur præterea Antonium iam pridem Valentis temporibus, cum propter Arianos ex solitudine Alexandriam accederet, cum hoc Dydimus in colloquium venisse: eiusque doctrinam & intelligentiam cum perspexisset, ei dixisse: nihil te conturbet, Dydime, quod sensu oculorum corporum orbatus sis. Nam quamuis tales oculi, quales muscis & culicibus tribuuntur ad seruandum, tibi profus desint, tamen lætari plurimum debes, quod illos habeas oculos, quibus angeli aspiciunt, quibus Deus ipse cernitur, quibus denique clarissimum eius lumen comprehenditur. Hæc iam pridem sanctum Antonium ad Dydimum dixisse ferunt. Dydimus eodem tempore maximus sincerae fidei patronus contra Arianos fuit: illis se opposuit: eorum fallaces captiones dissoluit: denique rationes adulterinas & veteratorias coarguit.

*De Basilio Cæsariensi, & Gregorio Nazianzeno.*

CAPVT XXI.

Quemadmodum Alexandria Dydimus diuina prouidentia Arianis oppositus fuit: ita in aliis ciuitatibus Basilius Cæsariensis, & Gregorius Nazianzenus: de quibus tempus videtur opportunum iam pauca differendi. Quanquam illorum memoria apud omnes sine intermissione usurpata, & doctrinae fructus ex eorum libris perceptus, factis valere possunt ad vtriusque commendationem: tamen cum per id tempus multa ecclesiis afferrent adiumenta, & tanquam duæ faces, ad fidem accendendam à Deo conseruaretur, nostrum institutum videtur postulare, ut de illis cum primis pauca commemoremus. Quod si quis Basilium & Gregorium inter ipsos comparare, vitamque mores & virtutes, quibus vterque præstabat, oratione prosequi voluerit, hærebit admodum, quem illorum alteri prætulerit. Nam & recta vitæ institutione, & vtroque genere literarum, tam gentilium, quam sacrarum alter alteri par. Qui cum adolentes erant, Athenis Himerij & Proeresij, Sophistarum eius ætatis perquam celebrium auditores fuere: postea Antiochiæ Syriæ à Libanio instituti, in dicendi facultate venere ad summum. Ac cum ad Philosophiæ præcepta tradenda iudicarentur idonei, rogarenturque propterea à permultis, ut ad docendi munus totos se transf-

se transf-

se transferrent, cumq; etiam alii eos hortarentur, vt rebus forensibus se dederent, vtroq; illo vitæ genere cõtempo, abiectaq; etiã Sophistarum disciplina solitariam viuendi rationem sibi delegerunt. Itaq; simul ac philosophiæ præceptiones sub doctore, qui tũ philosophiã Antiochię docebat, attigissent, nõ multo post, libros Origenis (qui tũ per vniuersum orbem terrarũ in magna gloria fuit) sibi colligere, ex illisq; sacrarũ literarum interpretationem perdiscere cœperunt. Quibus admodũ exercitati, contra Arianos strenuè dimicauere. Cumq; Ariani Origenis libros ad ipsorũ dogma confirmandum adducerent, illi eorũ coarguerũt inscientiam, perspicueq; ostenderunt, eos Origenis mentẽ & sententiam neutiquã intellexisse. Eunomius enim eiusdem sectæ fautor, & quotquot ex Arianorum numero qui tum disertissimi sunt habiti, quando cũ Gregorio & Basilio congregiebantur, se ipsos imperitos & planè indoctos prodiderunt. Basilius primum à Meletio Antiochię Episcopo diaconus ordinatus, postea Episcopus suæ ipsius patrię, Cæsareæ videlicet Cappadocię delectus, ad ecclesiarũ procuracionem omnẽ suam curã ac studium cõtulit. Nam cũ magnopere extimesceret, ne noua Arianorũ doctrina per prouincias Ponti serperet, summa cũ celeritate ad eas partes proficiscitur. Ibiq; loca ad monasticã disciplinam exercendã constituere, homines suæ doctrinæ præceptis informare, animos in fide vacillantiũ corroborare cœpit. Gregorius autem Nazianzi, vrbis Cappadocię perexiguæ (in qua pater eius ante rexerat ecclesiam) Episcopus creatus, idem quod Basilius, præstare: Vrbes quippe perlustrans, languentes in fide confirmauit: Constantinopolim verò sapiensimè iter faciens, animos eorum, qui vno consensu fidem Consubstantialis tutabantur, sua doctrina institutisq; erigere. Quapropter breui tẽpore post, multorũ Episcoporũ suffragiis Episcopus Cõstantinopolis constitutus fuit. Posteaquã igitur res ab vtroque gestæ ad aures peruenerunt Imperatoris Valentis, sine mora Basilius Cæsareæ Antiochiam adduci iubet. Itaque quã primũ eo adducitur, & de Imperatoris sententiã ad Præsidis tribunal deducitur. Ac cũ Præsides ab eo sciscitaretur, quid causæ esset, cur Imperatoris de religione opinionẽ non amplexaretur, Basilius ingenuè & liberè admodum Imperatoris

insimu-

In simulavit opinionem, fidemque Consubstantialis cōmendavit. Cumq; Præses illi mortē minaretur, vtinā inquit, Bzilius, hoc mihi verē accidat, vt pro veritate ex his corporis vinculis eripiar. Vbi iterum atque iterum repetebat Præses, vt rem secum accuratē consideraret, fertur dixisse Basiliū: ego quidem hodie, & cras idem sum: atque vtinam tu non mutes sententiam. Tunc itaque Basilius ad diem illum integrum tenebatur in custodia. Non diu post, filius Valentis nomine Galates, qui tenera admodū ætate fuit, forte adeo grauius ægrotare cœpit, vt medici de eius vita penitus desperarēt. Cuius mater Dominica Imperatrix, retulit ad Imperatorem, se per quietem abhorrendis visis valde diuexatā fuisse, puerumque propter cōtumeliam, quam Basilius Episcopus fuisset ab eo perpeffus, morbo afflictiari. Quæ Imperator animo diligenter complectens, accersit Basiliū: & quo illius faceret periculū, sic illum alloquitur: Si vera sunt tua de fide dogmata, precare, vt filius meus nō moriatur. Tum Basilius: Si, inquit credes, ò Imperator, quemadmodū ego, & efficies, vt ecclesia ad concordiam reducat, viuet puer. Cui cum Imperator minimè consentiret, idcirco, inquit Basilius, de puero fiat voluntas Dei. Basiliū, cum hæc dixisset, dimitti iubet. Puer statim post, exit è vita. Sed de his duobus viris hæc quidem summam percurfa sint. Libros autem vterque permultos eximiosque conscripsit atque edidit. E quibus nonnullos Rufinus in latinum sermonem se conuertisse memorat. Basilius duos habuit fratres, Petrum & Gregorium. Petrus solitarium vitæ genus Basilij secutus est. Gregorius autem docendi rationem: qui librum à Basilio in Hexaëmeron editum, vtpote imperfectum, post mortem fratris cumulatè expleuit. Idem funebrem orationem in Meletium Episcopum Antiochię Constantinopolē recitauit. Extant quoque aliæ diuersæ orationes ab eo conscriptæ.

*De Gregorio Neocæsariensi.*

CAPVT XXII.

**S**ED quoniā non pauci partim ex nominis similitudine, partim ex libris qui Gregorio tribuuntur, in errorem inci-

## SOCRAT. HISTOR.

incidunt, intelligendum est alium fuisse Gregorium Ponticum, qui ex Neo Cæsarea ciuitate Ponti ortus, illos, quos supra citauit (Origenis enim fuit discipulus) ætate longe anteuuit. Iste Gregorius crebro hominum celebratur sermone, non Athenis solum & Beryti, verum etiam per totam regionem Ponti, atque adeo, per vniuersum (prope dixerim) orbem terrarum. Qui vt primum à schola Atheniensi decefferat, Beryti legibus perdiscendis operam dedit: ac cū accepisset Origenem sacras literas Cæsareæ interpretari, Cæsaream proficisci maturat. Cumque sublimem & admirabilem sacrarum literarum scientiam audiuisset, leges Romanorum missas fecit, illique deinceps perpetuo adhaesit. Ideo cum veram philosophiam ab illo didicisset, parentū accersitu reuertit in patriam. Vbi primum, dum adhuc laicus erat, multa edidit miracula: ægrotos curauit: per epistolas fugauit demones: gentiles non verbis solum, sed factis multo magis ad fidem attraxit. Illius facit mentionem Pamphilus martyr in libris, quos pro Origene confecit: in quibus posita est oratio Gregorij, in Origenis commendationem conscripta. Quare erant, vt complectar breui, Gregorij, quatuor: Vetus iste qui Origenis fuit discipulus: Gregorius Nazianzenus: Gregorius frater Basilii: & Gregorius Alexandrinus, quem Ariani, dum exularet Athanasius, episcopum designarunt. Sed de his ista quidem hæcenus.

*De Nouato & ortis ab eo Nouatianis, et quòd qui ex illis Phrygiam incolebant, festum Paschatis ad Iudeorum ritum transtulerunt.*

### CAP. XXIII.

**P**ER idem tempus Nouatiani, qui Phrygiam incolebant, tempus festi Paschatis celebrandi commutauere. Verum qua ratione istud factum sit, post commemorabo, vbi prius dixerò, qua de causa iste nimis exquisitus & seuerus ecclesiæ Nouatianæ Canon, apud Phrygum & Paphlagonum gentem potissimum dominetur. Nouatus presbyter propterea ab Romana se segregauit ecclesia, quod Cornelius episcopus eos fideles, qui tempore persecutionis, quam Decius Imperator contra ecclesiā excitauerat, idolis sacrificauerant,

uerat, in comunione recepit. Ob qua causam cu se ab illa ecclesia seunxisset, primu ab Episcopis ide cum illo sentientibus episcopatu adeptus est: deinde omnibus ubiq; ecclesiis scripsit literas, uti eos qui simulachris immolassent, minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad poenitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest & habet auctoritatem peccata remittendi. Quibus literis ad prouincias perlatis, singuli pro suo ingenio de rebus in illis significatis iudicium fecerunt. Nam quia erat a Nouato significatum, eos qui post baptisina peccatum ad mortem commiserant, ad mysteria non esse recipiendos, eiusmodi Canonis promulgatio, quibusda acerba & seuera nimis visa est: a nonnullis probata, utpote aqua, & ad vitam recte instituendam multum adferens adiumenti. Dum haec inter eos agitur controuersia, literae Cornelij Episcopi allatae sunt, quae significabant spem veniae etiam illis esse reliqua, qui post baptismum deliquissent. Ab utroque igitur literae contrariae missae fuerunt. Ac cum uterque sua sententia sacrarum literarum testimonijs confirmare videretur, ad qua quisque opinionem erat propensior, ad ea, ut moris est, se potissimum transtulit. Nam qui peccando delectabantur, indulgentiam, quae tum erat concessa, arripientes, in posterum tempus, ea ad omne peccati genus abusi sunt. Phrygum quidem gens alijs gentibus videtur multo esse temperatior: Etenim perraro iurant. Scythae & Thraes sunt ad iracundiam procliuiores. Qui propius accolunt ad solem orientem, concupiscentiae multo magis seruiunt. Paphlagonae & Phryges ad neutram istarum perturbati omnium propedit. Nam hoc tempore neque equestribus certaminibus, neque spectaculis edendis operantur. Quocirca hi, qui hoc animo sunt, mihi videntur magis ad sententiam literarum a Nouato perscriptarum inclinare. Stuprum enim apud illos pro scelere habetur detestabili. Constat namque Phrygum, & Paphlagonum vitae ratione alijs cuiuscumque modi haeresis sectatoribus modestiorem, castioremque esse. Eandem causam modestae vitae instituendi, suspicor fuisse illis, qui partes incolebant versus occidentem quique Nouati doctrinae more gerebant. Nouatus ipse etsi de saeuero viuendi modo ab ecclesia Romana dissentiebat, tempus tamen festi Paschatis celebrandi non omnino mutauit. Perpetuo enim illud festum de more illorum,

qui in

q

SOCRAT. HISTORIAE

qui in partibus ad occidentem spectantibus habitabat, obseruauit, eodemque celebravit modo. Qui autem ibi vitam degunt, a primo tempore, quo fide Christianam cepere profiteri, semper post æquinoctium festum illud celebrarunt. Et quamquam ipse Nouatus, post regnante Valeriano, qui Christianos persequeretur, martyrio occubuit: Illis tamen, qui in Phrygia nomen ab eo ducebant, licet a fide ecclesie auersis, eius communione uti permissum est. Quo quidem tempore diem festi Paschatis celebrandi commutarunt. Nam in Pazo vico, vbi fontes sunt Sangarij fluminis, concilio coacto, pauci quidam episcopi Nouatianorum in Phrygia, ipsique obscuri, decidunt, morem Iudæorum, qui Azyma faciunt, obseruandum, festumque eodem tempore, quo ab illis agitur, esse celebrandum. Ista fuere nobis a viro quodam ætate admodum ingrauescente nuntiata: qui quidem se filium presbyteri esse dixit, simulque cum patre illi concilio interfuisse: in quo neque Agelius Nouatianorum Constantinopoli Episcopus, neque Maximus Nicææ, neque Episcopus Nouatianorum Nicomediæ, neque eiusdem sectæ Episcopus Cotuij aderat: cum tamen ab illis potissimum Nouatianæ religionis Canones sanciti sint. Atque istas res ita iam olim gestas esse accepimus. Paulò post propter illud concilium (sicut alio loco dicemus) Nouatianorum ecclesia intra se ipsa diuisa est.

*De Damaso Romano Pontifice & Ursino, & quomodo eorum causa perturbatione Romæ exorta ac seditione, multa inde strages subsequuta sit.*

CAP. XXIII.

**I**Am verò ad res eodem tempore in occidente gestas veniamus. Cum Imperator Valentinianus tranquillè placidèque vitam traduceret, nullamque secte vlli exhiberet molestiam, Damasus Liberio in episcopatus Romani administratione successit. Vnde ecclesie Romanæ status forte fortuna magnopere conturbatus fuit: cuius rei causam talem fuisse accepimus. Ursinus ecclesie illius Diaconus, cum delectus haberetur Episcopi, ipse Damasi cõpetitor fuit. Qui cum videret Damasum sibi prælatum, iniquo animo ferens se de spe decidisse, separatim ab ecclesia conuentus agere labo-

laborauit, persuasitq; quibusdam obscuris & abiectis Episcopis, vt in occulto ipsum crearent Episcopum. Idcirco creatus est, non in ecclesia, sed in loco operto Basilicæ, quæ Siconna dicitur, Qua re confecta, populus discordare cœpit. Mutua igitur non de fide, aut hæresi aliqua, sed solum vter istorum sedem episcopalem obtinere deberet seditio conflata est. Hinc tam graues erant multitudinis concursationes contentionesq; excitatæ, vt præ tumultu inde exorto, permulti interirent. Quam ob causam complures tam laici quàm clerici à Maximino, qui tum præfectus fuit, acerbis afficiebantur suppliciis: ad eumque modum & Vrsini conatus cohibitus est, & qui illi morem gerere in animum induxerant, penitus compressi.

*Quod postquam Auxentius Mediolanensis Episcopus de hac vita migrauerat, & seditio propter futuri præsulis electionem exardesceret, Ambrosius prouinciæ præfectus, cum illam militari manu restinxisset, communi omnium suffragio, & ipsius Imperatoris Valentiniani consensu, ad præsidendum ecclesiæ ascitus est.* CAP. XXV.

**S**V B idem tempus Altera res planè Memorabilis Mediolani fortè gesta fuit. Cùm Auxentius illius vrbis Episcopus, qui ab Arianis fuerat designatus, è vita cesserat, ibi rursus magnopere de episcopo deligendo turbatum fuit: magnaq; apud illos excitata contentio, dum alij alium ad eum dignitatis gradum extollere laborarent. Vbi de hac re facta erat seditio, Ambrosius prouinciæ præfectus, dignitateque ornatus consulari, veritus admodum ne ex illo tumultu aliquid sceleris in ciuitate ederetur, hoc animo procurrit in ecclesiam, vt seditionem cõpesceret. Postq; populus eius aduentu conquieuerat, ipseque populum de multis rebus vtilibus hortatus, temerarios multitudinis impetus compresserat, de repente vno omnium consensu & clamore Ambrosius episcopatu dignus existimatus est, omniumque designatus suffragiis. Nam eo pacto solum spes erat & concordiam inter ipsos conciliatam fore,

Q 2 &



SOCRAT. HISTORIAE

& omnes eandem de fide sententiam amplexaturos. Nam episcopis, qui aderant, videbatur hæc cõfentiens populi vox diuinitus sanè emissa. Idcirco sine mora Ambrosium comprehendunt, lauacro baptismatis (erat enim Catechumenus) tingūt, ad episcopatus procurationem deligunt. Verū cum Ambrosius baptismum libenter reciperet ille quidem, episcopatus tamen dignitatem prorsus repudiaret, Valentinianum de re gesta faciunt certiozem. Qui populi admiratus consensum, opusq; Dei ratus, quod factum erat, significat episcopis, vt voluntati Dei inseruirent, qui iusserat, vt illum crearent episcopum. Nam Deum potius quàm homines ei ad hunc honoris gradum suffragatū fuisse. Ambrosio itaq; ad hunc modum episcopo designato, Mediolani, qui ante inter ipsos discordarant, tum ad pacem & concordiam fuere reducti.

*De morte Valentiniani. CAP. XXVI.*

**P**ost hæc cum Sauromatæ in Romanorum fines incursionem facerent, Imperator cum ingentibus copijs & apparatu contra eos ire maturat. Barbari cum ista accepissent, seque tantas copias tantumque apparatus ferre non posse animaduertent, legatos miserunt, qui pacto foedere pacem ab eo postularent. Simul atq; igitur legati aduentarunt, eiq; visi sunt abiecti admodum & sordidi, sciscitabatur, ecquid omnes Sauromatæ essent eiusmodi. Cūq; legati respondissent, Sauromatum facile optimos ad illum aduentasse, Valentinianus iracundia supra modum inflammatus est, ingentiq; clamore sublato dixit: male actum esse cum Imperio Romano, quod eius administratio ad ipsum deuenisset, quo regnante tam egenus, ac sordidum Barbarorum genus animo non erat contentum, se suis finibus cum salute continere, sed arma sumere, Romanorum fines populari, ad bellum animo confidenti proficisci maturabat. Atque tantopere suos nervos vociferando distendit, vt omnes venas aperiret, omnesq; arterias disrumperet. Vnde tanta sanguinis copia effusa est, vt in Castello, quod Bergition appellatur, extremum vitæ diem obiret: Gratiano iam tertium, & Ecætio consulibus: xv. Calend. Decembris. Vixit annos quinquaginta quatuor, regnavit tredecim. Mortuo igitur Valen-

Valentiniano, milites qui erāt in Italia, sexto die post eius mortem, Valentinianum iuniorem, qui nomen à patre habuit, cum esset ætate admodum tenera, Aconci vrbis Italiae Imperatorem declararunt. Quod cum cæteris imperatoribus esset nuntiatum, ægre admodum tulerunt, nō quòd Valentinianus, qui alterius frater, alterius filius fratris fuit, Imperator erat designatus, sed quod absque illorum consensu & sententia designatus erat, cum illi ipsi essent ipsum designaturi. Attamen vt Imperator esset, vterque illi suffragatus est: itaque Valentinianus iunior ad hunc modum fuit in sede imperij paterni collocatus. Hunc Valentinianum intelligamus oportet ex Iustina natum fuisse, quā pater eius priore coniuge Seuera adhuc viuente, duxerat, idque tali de causa. Iustus pater Iustinae qui iam pridem temporibus scilicet Constantij Imperatoris, Picenae prouinciae fuit praefectus, in quiete per visum videbatur sibi videre, se purpuram imperatoriam e dextro latere, tanquam partū edidisse. Quod quidem visum cum alijs plerisque narratum fuit, tum ad aures perlatum Constantij. Ille ex viso ducebatur ad augurandum, Imperatorem ex Iusto satum fore: & propterea misit aliquot, qui Iustū e medio tollerent. Itaque Iustina patre orbata virgo permanfit. Postea tempore progrediēte, Seuerae Imperatoris Valentiniani coniugi, nota esse cepit: crebroque cum illa venit in colloquiū. Postquam verò creuit inter eas consuetudo & familiaritas, iisdem balneis pariter lauabant. Idcirco Seuera vbi Iustinam in balneis lautā vidisset, virginis pulchritudine mirè capiebatur, cepitque de ea apud Imperatorem verba facere: Iusti filiam virginem esse pulchritudine planè admirabili, seque licet esset mulier, eius forma adeo venusta vehementer oblectari. Imperator vxoris verba mente interiori recondens, cōsiliū de Iustina in vxorem ducenda iniit: Seuera de qua Gratianum, quem paulo antè Imperatorem declarauerat, suscepit, nequam repudiata. Quare legem tulit, vt cuique volenti liceret, duas vxores habere legitimas, eamque in singulis ciuitatibus diuulgauit. Lege itaque diuulgata, ipse Iustinam duxit vxorem: ex qua Valentinianum iuniorem, & tres filias Iustam, Gratam, & Gallam procreauit. Quarum duae vitæ in virginitate traduxerunt: Galla autem postea Theodosio

SOCRAT. HISTOR.

Magno in matrimonium collocata fuit: ex qua Pacidia filia ei nata est. Nam Arcadium & Honorium ex Placida priore suscepit coniuge. Verum de Theodosio, & liberis suo loco dicetur.

*De Themistio philosopho, & quod post habitam ab eo coram Valente orationem, aliquanto moderatius Christianos insectatus est, & ex qua occasione Gotthi temporibus Valentis, Christianam fidem susceperint. CAP. XXVII.*

**V**alens qui Antiochiæ ætatem degebat, quamquam à bello gerendo cum exteris acquieuit (Barbari enim ubique se suarum regionum finibus continebant) in eos tamen, quos videret in fide Consubstantialis constanter perseverare, impetum fecit, inq; dies singulos grauiora contra eos vsque eo excogitare supplicia non destitit, quoad ferox eius animus oratione Themistij philosophi, quam apud illum habuit, mansuetior placabiliorq; factus esset: in qua Themistius Imperatorem admonebat, ne qua ipsum caperet admiratio de Christianorum in religione dissentione: eam enim perexiguam esse, si cum multitudine ac turba opinionum, quæ sunt apud gentiles philosophos (sunt enim amplius trecentæ, & dissentio inter eos permagna est propter decreta, quibus quæque secta quasi necessariò tenetur astricta) comparetur, Deumq; velle tam diuersa ac dispari opinionum ratione suam gloriam illustrare, quo singuli eius magestatem propterea magis reuereantur, quòd non sit cuiq; in promptu eum accuratè cognoscere. His verbis, & alijs eius generis à Philosopho apud illum vsurpatis, quamquam cœpit esse paulo mitior comiorq;, tamen non omnem iracundiæ æstum omnino sedauit, sed viros sacris initiatos loco mortis vsque eo multauit exilio, quoad iste eius conatus, tali casu esset forte cõpressus. Barbari trans Istrum incolentes, qui appellantur Gotthi, bello intestino inter ipsos concitato, in duas factiones diuisi fuerunt: quarum alteri Phritigernes, alteri Athanarichus præfuit. Cum autem Athanarichus videretur superiores partes obtinere, Phritigernes ad Romanos auxiliij contra aduersarium petendi gratia profugit,

fugit. De quibus rebus Valens certior factus, dat mandatū militibus, qui versabatur in Thracia, vt Barbaris cōtra Barbaros dimicantibus subsidio esset. Illi itaq; hostibus in fugā cōuersis, trans Istrum cōtra Athanarichū sunt victoriā cōsecuti. Quæ causa fuit permultis Barbaris fidem Christianā recipiendi. Nam Phritigernes, quo pro beneficio accepto Imperatori gratiā referre posset, eius religionē āplexari cœpit, suosq; ad idem faciendum hortari. Atque eā ob causā complures Gotthi, qui tum, quo Imperatoris voluntati obsecundarent, se sectæ Arianae addixerant, ad hoc vsque tēpus eidē adhærescunt. Eodem tempore Vlphilas Gotthorum Episcopus literas Gothicas inuenit: atque vt primū, sacrā scripturam in eorū linguā cōuerterat, instituit animo, vt barbari illi sancta Dei eloquia perdiscerent. Simul atq; verò Vlphilas eos nō solū, qui Phritigerni, verū etiam, qui Athanaricho parebant, religionē Christianā docuerat, Athanarichus permultos, qui fidem Christi profitebatur, perinde ac si patria sua religionis instituta per eos fuisset adulterata, grauib; affecit supplicijs: ita vt Barbari nōnulli exsecta Ariana tū martyres fierēt. Verum Arius cū Sabellij errori non posset resistere, ex recta fide lapsus excidit, & filium dei nuper genitum esse tradidit: at barbari animo simplici religionem Christianā amplexi, pro fide Christi vitam, qua hic fruebantur, profundere non dubitarūt. Sed de Gotthis ad fidem Christi conuersis, hæc quidem ad hunc modum.

*Quod Gotthi ab alijs Barbaris sedibus suis eiekti ad Romanorum fines confugerunt, qui ab Imperatore suscepti, postea subuersionis Romani imperij & ipsius Imperatoris, causa extiterūt, & quod Imperator dum totus in cogitatione belli cōtra Gotthos foret, bellum contra Christianos remissiore animo gerebat.*

## CAP. XXVIII.

**B**Reui tempore post Barbari illi, amicitia inter ipsos mutuò cōcilitata, ab alijs barbaris vicinis suis, qui Hūni vocabantur, expugnati, suæq; regionis finibus exturbati, ad Romanorum ditionem confugere, Imperatori

SOCRAT. HISTOR.

Romano sua sponte inferuire, eius mandata exequi statuerunt. Quæ cum Valenti erant nunciata, ille minimè, quid inde futurum videretur, animo prospiciens, iubet supplices misericordia complecti: inque hac re vna se clementem ostēdit. Itaque quasdam partes Thraciæ illis præscribit ad incolendum, seq; ea de re fortunatum esse censet. Sic enim cogitabat se ex illis exercitum paratum instructumque contra hostes habiturum: quinetiam Barbaros custodes multo plus terroris, quàm Romanos, hostibus incussuros. Et ob eam causam de cætero in milite Romano augendo cœpit esse negligentior: atque adeo veteranos milites, qui in bello viriliter & magno animo dimicare norant, penitus contempsit: pro militibus autem qui ex prouinciis vicatim colligi solēt, pecuniam exegit, iussitq; vt pro singulis militibus octoginta aurei exigentur, idque cum illos antea tributo leuasset. Hæc quidem origo & causa fuit, cur res Imperij Romani ad aliquod temporis spatium parum prosperè succederent. Nam Barbari, occupata Thracia, & prouincia Romanorum cum securitate possessa, res adeo secundas ferre nesciuere, sed contra Romanos, qui tanta beneficia in eos contulerant, arma capere, omniaq; loca ad Thraciam spectantia vastare cœpere. Quibus rebus ad hunc modum confectis, Valentiq; nunciatis, destitit ab illis in exilium mittendis, qui fidem Consubstantialis amplexabantur. Nā in rebus dubijs perplexisq; cōstitutus, confestim Antiochia relicta, Constantinopolim ire perrexit. Ob quam causam persecutionis incendium contra Christianos ibi excitatū, penitus restinctum est. Eodem tempore Euzoius, qui sectæ Arianae Antiochiæ episcopus fuit, extremum vitæ diem cōfecit, ad quintum consulatum Valentis, Valētiniani autem iunioris primum: in cuius locum Dorotheus successus est.

*Quod Saraceni sub Mauiæ reginae ipsorum imperio, Mosē quendam monachum, tum pietatis tum fidei singularis hominem sortiti episcopum, se Christianæ fidei addixerunt.*

CAP. XXIX.

**V**Bi Imperator Antiochia decesserat, Saraceni, qui erant antea pop. Romani socij & fœderati, iam tum deficere,

ficere, & muliere quadam, nomine Mauia, duce (cuius vir iam è vita discesserat) bellum contra eos gerere cœperunt, Itaque omnes Romanorum prouinciæ versus orientem illo tempore fuissent à Saracenis penitus vastatæ, nisi illorum conatus diuina quadam prouidentia compressi fuissent. Causa autem talis fuit. Moses quidam genere Saracenus, qui in solitudine monasticum viuendi genus traducebat, propter eximiam pietatem, constantem fidem, & miracula ab eo edita, fama atque omnium sermone celebratus fuit. Istum Mauia Saracenorum regina suæ gentis episcopum designari à Romanis postulauit, atq; ea lege bellum restinguere, fœderaq; cum illis facere pollicita est. Quibus auditis, duces Romani bene secum agi putabant, si ea conditione pax cōstitueretur. Abiecta igitur omni cunctatione, illud confici præcipiunt. Moses itaque eductus è solitudine, Alexandria, ut illic sacerdotij dignitatem capefferet, deductus est. Vbi verò Moses ad Lucium, qui ibi tum præfuit ecclesiis, aduentauit, illius repudiauit designationem: sicque illum est allocutus. Ego quidem me ipsum sacerdotij dignitate indignum existimo: sed tamen si hæc res videatur ex vsu Reipub. fore, tu, Luci, manus mihi nequaquam impones. Tua namque dextera cæde & sanguine redundat. Ac Lucio ad illum vicissim dicenti, non oportere ita contumeliis ipsum afficere, sed discere potius ab ipso religionis dogmata, respondet Moses: at iam non dogmatum ratio queritur, sed facinora tua contra fratres edita, quæ plane conuincunt te vera Christianæ fidei dogmata omnino nõ habere. Nã Christianus non percutit, non obtrectat cuiquam, non pugnat: quippe seruus domini pugnare non debet. At tua facta per eos, quos in exilium expuleris, quos bestijs obieceris, quos igni cremandos tradideris, tanquam voce emissa contra te loquuntur, certioraq; habent indicia quæ oculis cernuntur, quàm quæ accipiuntur auribus. Ista aliaq; id genus, cum Moses dixisset, eius necessarij illum ad montem quendam deducunt, ut ab illis, qui ibi exulabant, crearetur Episcopus. Mose itaq; hoc modo tum designato Episcopo, bellum Saracenorum extinctum est. Mauia autem sic deinceps pacè cum Romanis seruauit, ut filiam suam duci Victori desponderet. Sed de Saracenis hæctenus,

Quod

SOCRAT. HISTOR.

*Quòd Valente Antiochia digresso, qui in oriente de-  
gebāt orthodoxi, & præcipue Alexādriæ animis  
recreati, Lucio reiecto, Petro qui Damasi episcopi  
Romani literis communitus erat, rursus ecclesias  
reddiderunt. CAP. XXX.*

**P**ER idem tempus, simul atque Valens Imperator Anti-  
ochia decesserat, omnes qui vbiq̄ue persecutionis tem-  
pestate iactabantur, & Alexandria potissimum, magno  
pere recreati fuerunt: propterea quòd Petrus Roma cum li-  
teris Damasi Episcopi Romani eo reuersus erat, quæ quidē  
& Mosis fidem confirmabant, & Petri creationem. Popu-  
lus igitur illis confisus, expellit Lucium, Petrum autem in  
eius locum introducit. Lucius itaque sine mora Constanti-  
nopolim trajicit. Petrus ad exiguum tempus vitam protra-  
hens, moritur: successorem fratrem suum Thimotheum  
relinquit.

*Quòd Imperator Valens Constantinopolim reuersus,  
cū populi cōiitijs propter Gothos lacesitus esset,  
de ciuitate contra Barbaros proficiscitur, consli-  
gēsq̄, cū illis Adrianopoli, quæ est vrbs Macedo-  
niæ interfectus est, expletis ætatis suæ annis quin-  
quaginta, regni sedecim.*

CAP. XXXI.

**I**Mperator Valens ad sextum suum consulatum, Valenti-  
niani autem secundum, 3. Calend. Iunij aduētans Con-  
stantinopolim, populum in magno mœrere constitutum  
offendit. Nam barbari, qui Thraciam iam populati fuerant,  
suburbia etiam Constantinopolis vastare propterea aggressi  
sunt, quòd nullę essent tum copiæ, quæ illorum impetum  
propulsarent. At cum Barbari mœnibus appropinquare cœ-  
perunt, ciuitas eum casum ægrè, & grauiter ferre, contra  
Imperatorē obstrepere, quòd hostes in eorū fines introdu-  
xerat, & iam illis nolebat quàm primū resistere, sed bellum  
cōtra Barbaros ducere. Itaq; cum equestria agebantur cer-  
tamina, omnes vno consensu contra Imperatorem, qui eas  
rēs negligebat, vociferati sunt: contenteq; clamant: da ar-  
ma, &

ma, & nos ipsi hoc bellum geremus. Dum ista vociferantur, Imperator iracundiæ flamma incendi, tertioq; Idus Iunij ex vrbe egredi cœpit: interminatus se, si rediret incolumis, supplicium de Constantinopolitanis sumpturum, cum pro contummelijs quibus tum eum vexassent, tum pro illis rebus, quas iam antea sub tyranno Procopio contra imperiũ admisissent. Ac cum dixisset se urbem vastaturum penitus & ita solo æquaturum, vt aratro profcinderetur, contra Barbaros ire maturat: illos longe ex ciuitate repellit: persequitur ad Adrianopolim vsque urbem Thraciæ, in confinijs Macedoniæ sitam. Ibiq; cum illis confliens, moritur, 3. Idus Augusti, ijsdem Coss. quos supra diximus: quarto anno ducentesiinæ octuagesimæ nonæ Olympiadis. Atque nonnulli aiunt illum, cum in pagum quendam incurfione Barbarorum incensum confugeret, igne ambustum interiisse: alij autem dicunt eum Imperatoris habitu mutato, in medium agmen peditum irruisse: deinde cum equites se nõ commisso prælio dedidissent, pedites omnes fusos acervatim occidisse, illumque habitu Imperatorio, qui quisnam esset indicare potuisset, deposito, inter eos iacuisse incognitum. Abiit è vita, cum annos quinquaginta vixisset, regnassetq; cum fratre annos tredecim. Post fratris autem mortem, tres. Liber verò spatium sedecim annorum continet.

SOCRAE

*Finis quartilibri.*